



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Institutiones Canonicae Sive Ius Ecclesiasticum

Wiestner, Jacob

Monachii, 1706

Articulus III. De Regulis Juris Libri VI. Decretalium Bonifacii VIII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62649](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62649)

gali, c. Nullus 5. de Jurejurando, & violata vindicatur c. Gravem cit. Aliquando verò strictè: quò modò sumpti Homagii nomine venit juramentum, quò alicui tanquam territorii domino spondetur subjectio; ut, qui jurat, ei, cui jurat, tanquam vasallus & quasi homo ipsius obligetur ad certas operas & obsequia temporalia; Homagium enim sic dicitur quasi hominis ligium sit; cum eum liget & obliget illi, cui præstatur, Glossa in Clement. 2. de Re judic. ubi Panormit. n. 6. Speculat. Tit. de Feudis §. 2. n. 4. & Suarez Lib. 1. de Jurament. cap. 13. n. 34.

3 Planus nunc & c. Gravem cit. decisioni minimè contrarius Regulæ sensus est, A clerico pro beneficio, istius collatione, nominatione, presentatione exigi homagium propriè dictum; itaque beneficium ejusque collatio &c. commodò & obligatione temporali compensari non potest; quòd utique indignum, à Romana Ecclesia consuetudine & sacrarum rerum conditione alienum ac Simoniacum sit, pro spirituali eive annexo, ut beneficium Ecclesiasticum de eoque provisio sunt, temporale sive munus ab obsequio, cujus rationem ea obligatio habet, exhiberi. Quæ ratio cum hujusmodi Homagium à collatoribus ac patronis, tam Ecclesiasticis quam Secularibus, exigi non posse, evincat, meritò, sicut his, c. Cum essent 12. sic illis præstitum, c. Ex diligentibus 17. de Simonia reprobatur: quamvis Prælati jurisdictionem in certi territorii clericum ac populum obtinentibus à clericis beneficia recipientibus præstari valeat Homagium minùs propriè dictum, quò illis reverentia, obedientia, & fidelitas, juramento mediante, promittatur, c. Gravem cit. c. Nullus 5. de Jurejurando.

Neque huic Regulæ sensui & cum c. Gravem cit. conciliationi adversatur; quòd in sua consecratione Episcopi Papæ

inter cætera jurati promittant, se legatos Apostolicos honorificè tractaturos, & in suis necessitatibus adjuturos, c. Ego N. 4. de Jurejurando: quæ temporalium exhibitione implentur; quia, cum ad hæc legatis Papæ exhibenda Ecclesiarum Prælati Jure obligati sint, ea solum Episcopi promittunt, quæ aliunde debita & Jure insunt: ea autem, quæ sic insunt, in juramento exprimi à recipiente spiritua- lia sine labe Simonia possunt, c. Significasti 4. de Elect. ubi Glossa V. Conditione, Barbosa n. 2. & alii relati supra Tit. 3. n. 27.

ARTICULUS III.

De Regulis Juris Libri Decretalium VI.

REGULA I.

Beneficium Ecclesiasticum non potest licitè sine Canonica Institutione obtineri,

SUMMARIUM.

1. Quid beneficii Ecclesiastici:
2. Quid Institutionis,
3. Et Canonica nomine intelligatur.
4. Sensus Regula, hujusmodi institutionem exigentis,
5. Et alios beneficia acquirendi modos,
6. Atque ipsam etiam prescriptionem excludentis.
7. Verius clerico ista.
8. Et communis error circa institutionem suffragatur.

Beneficium Ecclesiasticum hinc sumitur propriè pro Perpetuo jure percipiendi fructus seu redditus temporales, ratione officii Spiritua-

Spiritualis, Ecclesiasticâ autoritate confituro & declarato *Lib. 3. tit. 5. à n. 1.* Cujusmodi jura sunt Episcopatus, Abbatia, Prapostura, Decanatus, Perforatus, Parochia, Vicaria perpetua, Canonicatus, Capellanâ &c. quæ in titulum perpetuum conferuntur.

2. Institutionis nomine veniunt quicunque modi, quibus ejusmodi jura seu beneficia in titulum perpetuum obtinentur: videlicet Electionis confirmatio, Postulationis admissio, provisio Apostolica, Prælati inferioris libera collatio, præviâ nominatione vel præsentatione facta institutio, juxta dicta *Lib. 3. tit. 7. n. 1.* quam jam factam excipit Investitura sive inductio in actualem possessionem, quâ clericus consequitur actualem beneficii administrationem: uti &, si beneficium ex minoribus curatis sit, concessio curæ animarum, quæ institutio Autorizabilis nuncupatur, ut dictum *cit. Tit. 7. à n. 29. & 38. & ad hanc Reg. notant Decius n. 5. Peckius n. 2. & Streinius n. 2.*

3. Canonica autem dicitur institutio quæcunque, facta secundum SS. Canonum præscriptum: sicut legitimum dicitur, quod legibus est conforme. Sacris autem canonibus ad institutionem requisita à *Glossa in Reg. cit. V. Obineri, Anchorano n. 2. & Peckio n. 6.* ad quatuor capita reducuntur. Primum est; ut institutus habeat instituendi jus seu potestatem: quâ sine privilegio Apostolico laicus caret *c. 1. pr. de Procurat. in 6.* eâque potestas non sit impedita excommunicatione, suspensione ab officio &c. *arg. c. Conquerente 16. de Offic. Ord. & c. No. vii 4. de lis, que à Prælat.* Alterum; ut instituendus beneficii & institutionis in eo sit capax: propter cujus capacitatis defectum laici conjugati, non habentis debitam ætatem aut aliam qualitatem,

communi vel speciali Jure requisitam, in beneficio institutio Canonica non est, *c. In Ecclesia 2. de Institut. c. 1. de Cleric. conjug. c. Si eo tempore 9. de Rescript. in 6. &c.* Tertium; ut beneficium actu vacet; cum in viventis beneficio, non dimisso nec amisso, institui Jure nemo possit, *c. 1. c. Nulla 2. &c. de Concess. Præb. non vac.* Quartum; ut observetur forma sive solemnitates, quas institutionis modus communi vel speciali Jure requiritur.

Quare præsentis Regulæ sensus unanimi DD. calculo approbatus est, *Beneficium Ecclesiasticum licite honesteque obtineri non potest: nisi actu vacans, ab habente potestatem, clerico ejus capaci, aliquo ex relatis Jurisque Ecclesiasticis præscriptis modis & cum debita solemnitate tribuatur;* ut Canonica institutio quasi officium sit, per quod solum ad Ecclesias & Ecclesiastica beneficia accessus & ingressus patet; ac proinde, qui per id non intrat, sed aliunde ascendit, fur & latro quodammodo reputatur, ut *in Reg. cit. notant Joann. Monach. Vivianus. & alii.* Unde

Inferunt DD. primò, beneficium Ecclesiasticum licite non obtineri unius cessione vel cum alio permutatione, propriâ ipsorum beneficiatorum autoritate attentatis, *c. Admonet 4. de Renunciat. & c. Quæstion 5. de Res. permu.* Transactione propriè dictâ sive onerosâ aliâve pactione, *c. Constitutus 4. c. Super eo 7. de Transact. & c. fin. de Pænis,* quibus textibus eæ tanquam Simoniacæ reprobantur: sententiâ judicis lapsique fatalium Apellationis; quia illa in Ecclesiæ præjudicium & quoad eum, pro quo, lata est, non transit in rem judicatam, *arg. c. Constitutus 46. de Appellat.* ut *in c. Cum dilectus 32. de Elect.* notant *Laiman. n. 2. Gonzalez n. 5. & Lib. 2. tit. 27. n.*

27. n. 77. est dictum; aliòve modò à Jure reprobato.

6. Inferunt secundo, institutionem in beneficio ex quocunque defectu vitiosam nullò posteriori & à Canonica institutione diverso remediò corrigi & convalescere: neque etiam jvari præscriptione; ut quancòcunque temporis spatio beneficium sine Canonica institutione obtentum bonà fide retineatur & administratur, nunquam ejus titulus & proprietas acquiratur. Ita cum Beroio in *c. Cura* 11. de *Jure patronat. n. 11.* Balbo de *Prescript. p. 1. pr. p. 5. n. 8.* Covarruv. in *Reg. Possessor. p. 2. §. 10. n. 9.* & aliis, quos refert Barbosa ad *banc Reg. n. 6.* Ratione ferè unicà, sed in speciem solidà moventur; quòd sine possessione præscriptio non procedat, *l. Sine possessione 25. ff. de Acquir. poss.* eique consona *Reg. 3. in 6.* Beneficium autem Ecclesiasticum sine Canonica institutione nequeat possideri; cum ejus possessio involvat titulum & Canonicam institutionem, sine qua nequit obtineri. Cui rationi non leve pondus inde accedit; quòd beneficium canonicè non obtenti possessioni resistat *Jus. Reg. cit. V. Non potest*, quòd Juris resistentiam denotari, ajunt: ubi autem Jus resistit, Juridica possessio non detur, *l. Qui universas 30. §. 1. V. Namque, ff. de Acquir. posses.*

7. Sed ratio hæc ejus roboris & efficaciam non est; ut recessum persuadeat à doctrina tradita *Lib. 2. tit. 26. cujus n. 113.* secutus sum complures magni nominis DD. qui beneficia, generali & Juris Corpore clausà reservatione non affecta, bonaque fide & cum titulo colorato triennio pacificè possessa, vigore *Regule 33. Cancellaria Apostolica* præscribi defendunt; ut, illas à conscientia, valeant retineri. Pro quorum Opinione facit; quòd beneficium sine Canonica institutione salte

illicite obtineri; ac proinde possideri posse, arg. à contrario ductò ex proposita Regule verbo *Licite* desumatur, ut cum Panormit. in *c. In literis 5. de Restitut. spoliat. n. 21.* observat ipse Barbosa in *Reg. cit. n. 4.* Neque id malè; cum clericus beneficium spoliatus, ante omnem tituli probationem & cognitionem de eo, restituendus sit, *c. In literis cit. §. c. Conquerente 7. de Restitut. spoliat.* Sic autem restituendus non esset, si beneficium sine Canonica institutione non posset possideri; quia de possessione, cujus præviam cognitionem ac probationem spoliati restitutio requirit, *c. Consultationibus 10. junctà Glòsà V. Possessionem, de Offic. deleg.* constare non posset, nisi constaret de titulo, quem ea involvit.

Neque, possessioni titulo non munita Jus resistere, rectè arguitur ex *V. Non potest*, cum; quia hæc verba solum licite, non etiam illicitè beneficii obtentioni & hanc secuta possessioni resistunt, ut hac in re contrarius Barbosa *cit. n. 4.* advertit: tum verò; quia hæc verba sunt Juris Regule, quæ Jus ipsa non facit, sed antè constitutum supponit, ut *ad hanc Rubr. pr. n. 8.* est dictum: Jus autem si ve canon, qui bonæ fidei possessioni titulo destituta resistat, aliud non extat, neque ab adversa parte allegatur. Quare proposita Regula admittit exceptionem: nisi beneficium pacificè bonaque fide triennio vel longiori tempore sit possessum. Plura de hac re *cit. n. 113.*

Inferunt tertio, retineri non posse beneficium obtentum ab eo, qui verus ejus collator, cum non esset, communi errore existimabatur; quòd *l. Barbarius 3. ff. de Offic. Prætor. §. Veruntamen post can. Infamis 3. q. 7.* decisio seu dispositio in spiritualibus hisque annexis, ut est beneficium Ecclesiasticum, non procedat. Ita Strein. ad *banc Reg. n. 5.*

A a a

§. Quare.

§. *Quava.* Verùm; quia propter utilitatem publicam, errore communi interveniente, sicut secularis à Republica, sic etiam spiritualis jurisdictionis ac potestatis defectum ab Ecclesia suppleri, concessum jam est *cit. Lib. 2. tit. 1. à n. 82.* quò minus beneficium à tali collatore obtentum, detectò errore, retineri salvà conscientia valeat, illius defectus publicè ignoratus impedire non potest.

REGULA II.

Possessor mala Fidei nullo tempore non prescribit.

SUMMARIUM.

1. *Qua fides bona malave sit.*
2. *Bona exigitur toto tempore Prescriptionis,*
3. *Quancunque ea temporis sit.*

I. **B**ona fides est illa conscientia circa possessionem rei alienae; quòd possessor prudenter judicet, eam esse suam, aut saltem nesciat esse alienam, *can. Si virgo, 34. g. 1.* Unde malae fidei possessor est, cujus conscientia circa alienae rei possessionem laesa est; quòd sciat vel judicet, eam non esse suam, sed alienam, juxta illud Apostoli: *Quod non est ex fide, sive contra conscientiam, peccatum est, Roman. cap. 14. v. 23. c. fin. de Praescript. & pronuntiarum Gratiani, Omne, quod contra conscientiam sit, aedificat ad gehennam, post can. Omnes 14. §. Ex bis, 28. g. 1. Laiman. Lib. 3. Tract. 1. cap. 8. n. 10. & Pirrhing ad Rubr. de Praescript. n. 45.*

Porro praesentis & celeberrimae Regulae sensus geminus, & Ecclesiastico Divinòque Juri rationique uterque consen-

taneus est.

Unus, *Possessor aliene rei ejus praescriptionem non perficit: nisi totò tempore, legibus aut sacris canonibus definitò, prudenter existimes, eam esse suam aded; ut, si v. g. decennii, quòd praedium alienum cum titulo colorato possidet, aliqua & quacunque temporis parte id alienum esse sciat, praescriptio interruptur, & decennii lapsu non compleatur, ex decreto Concilii Lateranensis dilertè exigentis, Ut, qui praescribit, in nulla temporis parte conscientiam habeat rei alienae, c. fin. cit.* quà utique saluberrimà sanctione correctum est Jus Civile, bonam fidem solò possessionis initio exponens, l. Unica C. de Usucap. transform. & §. Diutina 12. Institut. de Usucap. Neque id immeritò, cum; quòd *Sit generaliter omni Constitutioni atque Consuetudini derogandum, qua absque mortali peccato non potest observari, c. fin. cit.* tum verò; quòd leges illae Civiles in animarum perniciem nutriant peccata, homines spe lucri sive domini rerum mala fide possessorum cum tempore consequendi, alliciendò ad ejusmodi cum peccato conjunctae possessionis continuationem, Vivianus in Reg. cit. & in c. fin. cit. Barbosa n. 4. & Gonzalez n. 15.

Alter Regulae sensus est, *Possessor mala fidei, & rem, quam possidet, alienam esse sciens, eam nullò, hoc est, neque ordinario decem aut viginti, neque extraordinario triginta, quadraginta, sexaginta, vel centum annorum, neque etiam immemoriali tempore praescribit, ex Constitutione Alexandri III. c. Vigilanti §. de Praescript. relata; Quoniam, ut ait, nulla antiqua dierum possessio juvat aliquem mala fidei possessorem: & ex Synodali judicio memorati Concilii generalis c. fin. cit. definitis; ut Nulla, quancunque temporis valeat absque bona fide praescriptio,*

am Ca-

nam Canonica quam Civilis: quibus locis iterum correctum est Jus Imperiale, ad longissimi temporis prescriptionem in possessore bonam fidem ne ab initio quidem exposcens, *l. Si quis 8. §. 1. C. de Praescript. 30. vel 40. annor.* secundum ejus expositionem traditam à Gratiano §. *Praescriptionum, V. Quodsi post can. Placuit, 16. q. 3.* Ratio correctionis fuit partim allata pro Regula sensu priori: partim verò; quòd possessionis rei alienae cum mala fide continuatio tantò gravius peccaminosa & animabus periculosa sit, quantò longiori tempore est protrahenda, *ut proinde mala fides ab extraordinaria magis, quam ab ordinaria prescriptione fuerit removenda, Dynus ad hanc Reg. n. 6. Covarruv. ad eandem p. 1. §. 3. n. 9. Barbosa in c. fin. cit. n. 6. & Pirrhing l. cit. n. 49.*

Pluribus hæc bonæ fidei in præscriptione necessitas stabilita &, quæ contra eam pugnant, enervata sunt *Lib. 2. tit. 6. à n. 26.*

REGULA III.

Sine Possessione Praescriptio non procedit.

SUMMARIUM.

1. Necessitas Possessionis ad Praescriptionem.
2. Sensus & ratio Regulae.
3. Variæque instantia huic opposita.
4. Ad praescriptionem sufficit quasi possessio.
5. Possessio vera per alios continuata.
6. Etiam ficta.
7. Et beneficiò in integrum restitutionis recuperata.

Possessionis ad Praescriptionem necessitas omnino explorata est ex dictis *ad Rubr. de Praescriptionibus à n. 16.* quò, tanquam locò sine materia sede propria, data est plenior ejus explicatio: Quà supposita

Regulae istius sensus est, *Praescriptio, sicut non inchoatur, sic inchoata non procedit aut perficitur: sed interruptitur, si possessio toto tempore ad praescriptionem jure requisito non continetur, sed quomodocunque amittatur.* Ratio perspicua est; quia praescriptio fundatur in possessionis continuatione, ut planum est ex ejus definitione, quâ ad mentem Modestini ICI: *l. Usucapio 3. ff. de Usucap. à DD. modernis esse dicitur Adjectio sive acquisitio domini, vel alieni juris peremptio per continuationem possessionis, tempore, modòque legibus & sacris Canonibus definitò.* Unde sicut, deficiente aut sublatò fundamentò, ædificium, *can. Paulus 1. q. 1. & l. Egi 26. pr. ff. de Except. rei judic. sic, deficiente aut quovis modò ablatà vel amissà possessione, praescriptionem omnino corrumpere vel perficere, est necesse.*

Hanc tamen Regulae explicationem, licet à DD. magno consensu approbata sit, non una duntaxat instantia difficilem reddit; nam primò praescriptioni obnoxia sunt incorporalia, *l. fin. in fine C. de Praescript. longi temp. c. Ad audientiam 13. c. Auditis 15. Sc. de Praescript. quorum tamen possessio non datur, l. Servus 43. §. 1. ff. de Acquir. rer. dom. & l. Possideri 3. pr. ff. de Acquir. possess.* Secundò, debitor adversus actionem creditoris personalem praescribit, *l. Omnes 4. C. de Praescript. 30. vel 40. annor.* cum tamen nihil possideat, quod sit creditoris; quia pecunia, quam debet, in ipsius dominio manet, donec creditori sit numerata. Tertio, captus ab hostibus ni-

hil poss.

hil possidet; cum ipse ab alio possideatur; *l. Cum herede 23. §. 1. ff. de Acquir. posses.* & tamen usucapere potest, *l. Jussto 44. §. fin. ff. de Usucap.* Quarto, hæreditatis jacens seu nondum aditæ præscriptio à defuncto cæpta, eò etiam tempore procedit & completur, *l. Capram 40. §. l. Jussto cit. §. 3. ff. eadem Rubr. licet*, dum jacet, à nemine possideatur, *l. 1. §. 15. ff. Si is, qui testam. liber. &c.* Quinto, regulæ & columnæ ab eo, cui ad earum præscriptionem complendam decem dies superlunt, in ædificium conjectæ nihilominus usucipiuntur, si ædificium possedit, *l. Rerum mixtura 30. §. 1. ff. de Usucap.* & tamen iis diebus non possidentur; quia jam sunt ædificii partes & deserunt possideri; cum non partes ædium, sed ipsas tantum ædes possideri, Javoleni sententia sit, *l. Eum qui 27. ff. de Usucap.*

Sed hæ instantiæ omnes accuratius ponderatæ Regulam neque convellunt, neque ejus sensum ambiguum reddunt.

Prima; quia incorporalium datur quasi possessio, *l. Ait Prætor 23. §. 2. ff. Ex quibus caus. major. §. l. Si quis 10. pr. ff. Si servit. vindic.* quæ in incorporalibus idem, quod in corporalibus vera possessio operatur; cum pro acquirenda tuendæque incorporalium quasi possessione prodita sint interdicta, *l. Si-cut 8. §. 5. in fine. ff. ibid.* licet ista non nisi possidenti concedantur, *l. 1. §. 5. ff. Uti possid.* Quare præscriptio, sicut in corporalibus sine vera, sic in incorporalibus sine quasi possessione non procedit, *l. Si quis cit. pr. ut ad hanc Reg. Decius 4. & Peckius n. p. observant.*

Secunda; quia, esto debitor ex creditoris bonis nihil possideat, possidet tamen libertatem sive immunitatem à molestiis & importunitate exactionum: cujus quasi possessionem si, propter creditoris negli-

gentiam, bonâ fide & tempore legibus præscriptò retineat & conservet, tandem creditoris actionem & exactionem excludit, Peckius *cit. n. p.* & Strein, *ad Reg. præced. n. 8.*

Tertia; quia ab hostibus captus ea, quæ ex peculiari causa possidebat, per se, sicut non possidet, sic neque præscribit. Possidet tamen ea & præscribit per alios, puta filios aut servos, quos habebat in potestate. Unde, si postliminio redeat, possessionem omni tempore continuasse & dominium per usucapionem acquisivisse, Juris postliminii fictione videtur, *l. In bello 12. §. 2. ff. de Capt. & postlim. §. l. Si is qui 15. ff. de Usucap. cit. Decius n. 10. Dynus n. 11. & Peckius n. 9.*

Quarta; quia ipsa hæreditas jacens, licet animâ careat, & facti capax non sit, *l. 1. §. 15. ff. Si is, qui testam. lib.* Juris tamen fictione sive interpretatione locò possessoris est, *l. Hæres 22. §. l. Jussto 44. ff. de Usucap.* quod singulari Jure introductum est; cum enim ante aditam hæreditatem nihil sit, quod hæredi, qui Juris fictione eadem persona cum defuncto est, imputetur, eique damno esse debeat, hæreditas, dum jacet, defuncti sustinet personam, & aditio hæreditatis retrotrahitur temporique mortis conjungitur, ad possessionem, quam defunctus cepit, continuandam & complendam; ut, cum defunctus omne jus suum transmittat ad hæredem, in hunc etiam transmittat jus possessionis ad complendam præscriptionem, Alciatus *in l. Ejus qui 41. ff. Si cert. per. n. 66.* Balbus *de Præscript. p. 6. n. 47.* & Peckius *cit. n. 9.*

Postrema; quia regularum & columnarum, in ædificium conjectarum eique implicatarum aut coagulinarum, possessio per decendii modicum tempus ab ædificii possessore animò retineri videtur; ut decendii lapsu illarum usucapio perficiat-

perficiatur, Gilcken de Prescript. p. 34 cap. 1. in fine & Bruneman. in l. Rerum cit. n. 2. licet, si longiori tempore edificio applicata, implicataque aut conglutinata fuissent, non ipsa, sed edificium possideretur & ulucaperetur.

Eidem explicationi & possessionis continuæ necessitati opponi solet; quod ex ea non leve præjudicium timendum sit iis, qui rei possessione vi metive injustè incussò deiciuntur; cum, si possessionem continuam exigat præscriptio, hæc ab ipsis inchoata interrumpatur, ad eamque perficiendam præteriti temporis possessio inutilis evadat. Sed argumentum hoc non magis quam instantiæ urgent, partim; quia nullâ suâ culpâ vi dejecti, naturali possessione amissâ, animò retinere valent Civilem: partim verò; quia ipsis succurritur auxiliò in integrum restitutionis ex clausula generali, *Si qua alia mihi justa causa videbitur* l. 1. §. 1. ff. Ex quibus caus. major. quâ in pristinum statum ita reducuntur; ut rem, à cujus possessione nullâ suâ culpâ deciderunt, non possedisse alius: sed naturalis etiam possessio penes ipsos semper extitisse, Juris fictione censeatur, cit. Peckius in fine, & Spein. cit. n. 8. object. 6.

REGULA IV.

Peccatum non dimittitur, nisi restituatur ablatum.

SUMMARIUM.

1. Injustitia inducit obligationem restituendi.
2. Et resarciendi omnia damna.
3. Formaliter injustè proximo illata.
4. Sensus & ratio Regule.
5. Quæ triplici argumentò impugnatur.
6. Eorundemque solutione firmatur.

7. Restitutio à damnificante in vita facienda.
8. Vel commendanda heredibus est;
9. Ut proxi anima defuncti.
10. Causa excusantes à Restitutione.

Latum inter peccata est discrimen; quædam enim Justitiæ Commutativæ, ut furtum, rapina, homicidium, detractio & quavis in hominis bonis vita & fama læsio injusta; alia, ut Hæresis, superbia, odium, gula &c. aliis Virtutibus adverlantur: quorum, quæ contra illam: non etiam, quæ contra cæteras Virtutes committuntur, restituendi obligationem inducunt; quia sola Justitia voluntatem inclinât ad tribuendum cuique jus suum, sive quod ipsius aut ipsi debitum est, l. Justitia 10. pr. ff. de J. & J. servatâ omnimodâ æqualitate; ut tantum & non minus habeat, quantum ipsi debetur, S. Thomas 2. 2. q. 58. art. 1. & Molina Tract. 1. de J. & J. disp. 2. n. 3. Unde in peccato, contrario Justitiæ Commutativæ, vg. in furto, rapina, tria reperiuntur. Reatus culpæ, eaque promeritæ poenæ æternæ: obligatio ad poenam temporalem, à legitimo magistratu infligendam ex Justitia Vindicativa, & obligatio restituendi, hoc est, reddendi, quod clam aut vi ablatum est ac retinetur. Ex quibus culpæ & poenæ æternæ reatus à solo Deo, ejusque nomine ab habente potestatem sive confessario: poena temporalis à legitimo magistratu: restituendi obligatio remitti potest ab eo, cui res est ablata: quò proinde eam non remittente, restitutionis faciendæ obligatio, donec impleta sit, perseverat.

Restitutionis autem verbum hoc locò sumitur in sensu Juridico & Theologico; ut non solum alienæ rei, vi aut clam ablata, redditionem, si extet: vel, si non extet, æstimationis exhibitionem: sed

A a a 3

damni

damni quoque injuste illati resarcitionem comprehendat; quia Restitutionis verbo omnis actoris utilitas continetur, *l. Cum Prator 81. ff. de V. S.*

Potest autem damnum inferri injuste, vel materialiter solum, vel formaliter etiam. Materialiter injuste illud infert, qui rem alienam aufert, retinet, destruit, deteriorat, bona fide ratus, esse suam, eamve auferendi &c. jus se habere; cum re ipsa non haberet: qui restituere id solum tenetur, quod ex re aliena possidet, aut inde locupletior est factus. Formaliter injuste damnum infert, qui rem alienam aufert, retinet, destruit, deteriorat dolose, cum, hæc agendi jus sibi non competere, sciret, vel saltem scire deberet & facile posset: qui restituere, quantum ablatum, & resarcire tenetur damnum, quantum est illatum; ac proinde rem, si extet, cum omnibus fructibus: si non extet, aut deterior facta sit, ejus vel defectus æstimationem & quanti interest, tali re non caruisse, *cit. S. Thomas q. 62, art. 6. Lessius Lib. 2. de J. & J. cap. 7. n. 15. & Laiman Lib. 3. tract. 2. cap. 1. n. 1. & 2.* Ex his

4. Regula sensus expeditus planiusque est, *Ut peccatum contra Justitiam Commutativam commissum, quoad reatum culpa & pena aeterna, remittatur, non sufficit dolor cum proposito emendationis & confessio Sacramentalis: sed insuper necessarium est; ut peccator rem ablatam & dezentam restituat: aut, si amplius non extet, ejus æstimationem læso exhibeat, etque injuste illatum damnum resarciat, vel saltem ea proxime præstandi habeat voluntatem: nisi legitimam aliquam causam excusetur.* Ratio est; quia. Si res aliena, propter quam peccatum est, reddi possit, & non reddatur, penitentia non agitur, sed simulatur, ex sententia S. Augustini Epistol. 54. ad Maced. can. Si res 14. q. 6. relata.

Ratio Regulae est; quia, rem ablatam restituere & injuste illatum damnum resarcire renuens, proximi læsionem continuat contra præceptum Juris Naturalis ac Divini, exigens; ut justitia & aequalitas observetur: injustitia verò eaque inducta inæqualitas evitetur: & si quæ actione nostra inducta est, tollatur. Quod cum non nisi rei alienæ detentæ, ejusve æstimationis restitutione damni illati resarcitione fiat, his nec præstitis nec propositis, peccatum, quoad culpæ & penæ aeternæ reatum, tanquam malè disposito & non verè penitenti non dimitte-

5. tur. Quamvis autem hic Regulae sensus perspicuus itaque solidus sit; ut eum ulli instantiæ obnoxium, Glossa hæc inficietur, alii tamen Interpp. ei opponunt Primò illud Servatoris nostri, *Facite vobis amicos de Mammona iniquitatis*, Lucæ cap. 6. v. 9. Ude injuste parta in elemosynas pauperum converti posse, nec restitutione læso faciendâ opus esse, aiunt. Secundò, is, pro quo sententia in judicio lata est, postquam ista in rem judicatam transit, ad restitutionem non adstringitur: licet postea adversam partem meliori jure niti & victori rem alienam adjudicatam appareat, *c. Inter monasterium 20. de Sent. & rejudic. Tertio c. Officij 9. de Penit. & re missi.* mulier, alieni partus, ad legitimos hæredes ab hereditate excludendos, suppositi aut ex adulterino concubitu suscepti rea, ad Penitentiam admissa est, quin ad hujusmodi prolis successionem impediendam ei sui criminis manifestatio fuerit injuncta, minimè obscuro argumento, etiam injustitiæ peccatum aliquando remitti, non factâ ullâ restitutione.

6. Sed ista nec restringunt Regulam, nec infringunt Glossæ assertionem; facilis enim responsio est ad primum; quia illud Christi

Christi Domini pronuntiatum porrigendum non est ad injuste parta, quorum dominus scitur; quia, huic faciendam restitutionem, Regula est, ultra debitum observata à Zachæo, iis, quos defraudavit, quadruplum reddente, Lucae *cap. 19. v. 7.* sed ad divitias fordibus & nimia sollicitudine quasitas, atque etiam ad ea, quorum dominus ignoratur, restringenda, Peck. *ad hanc Reg. n. 10. in fine.*

Non magis urget alterum; esto enim sententia, postquam in rem judicatam transit, pro veritate accipiatur, *l. Res judicata 207. ff. de R. J. &* ut litium finis sit, adjudicati restitutio non urgeatur in foro externo: & in interno quoque ad eam non obligetur, qui bonâ fide iudicium subit & sententiam pro se tulit: etiamsi ex documentis postea repertis aliisque probationibus se prodentibus adversæ partis jus appareat: ad illam tamen huic faciendam in interno seu Conscientiæ foro adstringitur, cui malâ fide litiganti res, quam alienam esse scivit, per sententiam est adjudicata, *arg. c. fin. de Prescript. ut dictum Lib. 2. tit. 27. n. 95.*

Non majorem vim habet *c. Officij cit.* textus; quia ejusmodi mulierem, si marito & legitimis hæredibus imminens damnum impedire, aut illatum compensare valeat sine jactura famæ, aliòve gravi incommodo, nemo est, qui non obliget, & renuenti absolutionem non asserat denegandam. Quare ad hanc *ex c. cit.* decisione eò solum casu admittenda est, quò damnum illud impedire, aut illatum refarcire sine vitæ, famæ, & similibus gravissimorum incommodorum periculo non potest, per tradita *Tit. 38. cujus art. 7. roro c. cit.* casus plenius est discussus.

7. Porro, ut injuste detenti restitutio à culpæ & pœnæ æternæ reatu liberet, eam ab injusto detentore vel damnificante in hoc seculo fieri decernere, est necesse; cum

ea, quæ ab hæredibus decernitur, defuncti animam à reatu illo & Purgatorii etiam pœnis liberare nequeat: sicut ejus animam in eodem igne purgatorio detinere hæredum, restitutionem omittentium, negligentia non potest; vel enim defunctus restitutionem & damnorum satisfactionem, cum eam facere per se non posset, hæredibus commendavit ac præcepit, vel id culpabiliter omisit? Si prius, in Purgatorio suâ tantum restitutionis dilatione & aliis culpis promeritam pœnam temporalem exsolvet, eaque exsolventâ liberabitur: etiamsi hæres ipsius, restitutionem præcipientis, supremam voluntatem implere negligant. Si posterius, à pœnis inferni, ad quas ob restitutionem culpabiliter omisam & hæredibus non commissam damnatus est, non liberabitur: etiamsi restitutio ab hæredibus sit facta, S. Thomas *Quodlib. 6. art. 13. Navarrus Manual. cap. 27. n. 68. S. Quæsitum & Sayrus Clavis Reg. Lib. 10. tract. 1. cap. 2. n. 6.*

Neque aliud evincunt à nonnullis objecta *c. In literis 5. de Raptoribus Verba, Ut sic à peccato valeat liberari,* cum; quia hæc lectio mendosa est; quòd pro verbo *valeat*, quod ad defunctum refertur, legendum *valeant*: & verbum hoc referendum sit ad hæredes, qui à defuncto injuste parta restituere, ab eoque illata damna reparare debent; ut liberari valeant à peccato, quod restitutionem negligenter omittendò vel differendò committunt: tum verò; quia si verbum *Valeat* retineatur & referatur ad defunctum, exaudiendum est de suffragiis & oblationibus pro ejus, sepulturâ sacrâ tumulandi, anima post factam ab hæredibus restitutionem offerendis, eique ad liberationem à pœna temporali profuturis, Navarrus *l. cit. &* alii apud Barbosam *in c. cit. n. 4.*

Dixi, Nisi legitimâ causâ excusetur; IO.

Sunt

sunt enim variae causae & casus, quibus injuste detenta restituendi haecenus stabilita necessitas aliena detinentem aut damnificantem non urget: Primò quidem, si damnum sine culpa Theologica sit datum, juxta dicta *Tit. 36. à n. 33.* Secundò, si debitor vel simpliciter non habeat, unde restituat, vel satisfaciat, *arg. Reg. Impossibilem 185. ff. & Reg. Nemo 6. in 6.* aut id facere nequeat sine damno multò graviori in vita, fama &c. sibi suisve inferendo, *can. Si res 14. q. 6. Sylvester V. Restitutio 5. q. 3. Navarrus cap. cit. n. 57. & Laiman trakt. cit. cap. 12. n. 1.* Tertio, si restitutionis dilatio in magnum bonum domini cederet; quòd is pecunià aliavè re sibi reddidit in suam perniciem sit abusus. Quarto, si res solummodo materialiter injuste detenta interierit; cum, eam solum extantem restituendi obligationem dari, jam sit dictum. Quintò, si debitor cedat bonis, excusatur, donec venerit ad fortunam pinguiorem, *l. Cum & filius 7. C. Qui bonis ced. poss.* Sextò, si restitutio ab eo, cui facienda est, voluntariè & gratuito remittatur, *arg. l. In re mandata 21. C. Mandati.* Septimò, si bona incerta ex delicto vel beneficii fructus malè percepti, aliquà tantum parte piis causis applicatà, à Papa per Bullam Cruciatæ aliòve modò condonentur &c. de quibus Azor *p. 3. Instit. lib. 4. cap. 39.* Lessius *lib. 2. de J. & J. cap. 16. à n. 1.* Laiman *cap. 12. cit. à n. 1.* & Busenbaum *Lib. 3. Medull. trakt. 5. cap. 2. art. 3.*

REGVLA V.

Peccati Venia non datur, nisi correcto.

SUMMARIUM.

1. Regula verborum acceptio,
2. Illiusque sensus & ratio,

3. *Eriam in Veniali peccato procedens.*
4. *Verè non penitenti absolutio non confertur.*

Peccati nomine etiam hæc Regulâ intelligitur culpæ Actualis eaque promeritæ pœnæ æternæ reatus. Veniæ autem ejus remissio: & Correctionis nomine, non punitio seu castigatio: sed Pœnitentia, hoc est, cordis contritio perfecta, vel attritio cum Sacramentali confessione & absolutione, vel alterius Sacramenti, contritum, ut loquuntur, ex attrito facientis perceptione conjuncta, denotatur, ut ad *hanc Reg.* notant Barbofa *n. 2.* Strein. *n. 1.* & Nidus *à n. 1.* Unde

Perpicuus omnino & à proximè explicatæ non alienus præsentis Regulæ sensus est, *Peccatum Actuale quoad reatum culpæ & pœnæ æternæ à Deo non remittitur: nisi de eo commisso agatur penitentia, hoc est, eliciatur Contritio perfecta vel cum Attritione Sacramentalis absolutio vel alterius Sacramenti, ex attrito contritum facientis, perceptio fuerit conjuncta;* neque enim ad consequendam peccati remissionem & sanctificantem gratiam recuperandam sufficit, quod alia quantumcunque Deo grata pia opera peragantur. Pœnitentiam autem ad veniæ consecutionem requirendi ratio fuit; quòd omnino conveniens sit; ut, qui peccatum actuale committendò propriâ suâ voluntate à Deo summo & infinito bono fuit averfus, absque omni propriæ voluntatis motione & ad Deum conversione gratiam ab eo non recuperet, S. Thomas *3. p. q. 86. art. 2.*

Ratio hæc, licet non procedat in peccato Originali: & hoc si, quod in adultis rarò eveniet, cum actuali conjunctum non sit, solâ Baptismi susceptione remittatur, *can. Firmissime 3. can. Ex quo 6. Sc. dist. 4.*

SUMMARIUM.

1. *Impossibile aliquid vel de Facto vel de Jure,*
2. *Vel Moraliter tantum esse potest.*
3. *Sensus & ratio Regule,*
4. *Et huic objecta difficultates.*
5. *Impossibilia conditio aliquando rejiciuntur,*
6. *Et dispositio ad casus possibiles referuntur.*
7. *Difficultas non impedit obligationem.*

dist. 4. de Consec. Palao tract. 19. disp. 1. p. 7. n. 4. afficit tamen peccatum Veniale; cum enim hoc inordinata aliqua mentis ad bonum creatum conversio, & à lege Dei aversio quædam sit, licet sine contritione perfecta & Sacramento, non tamen sine omni pœnitentia saltem virtuali in hac vita remittitur, cit. Doctor Angelicus q. 87. art. 1. & aliis relatis Laiman Lib. 5. tract. 6. cap. 4. num. 12. & Palao Traët. 23. disp. unic. p. 2. n. 5.

4. Hanc quidem Pœnitentiæ necessitatem aliqui in dubium vocant propter *can. fin. dist. 4. & c. Quidam 5. de Penit. & remiss.* quorum locorum priori Gregorius M. eos, qui in Quadragesima diebus Dominicis vescuntur carnibus & ad medias usque noctes comestantur, genio suo relinquendos ait; *Ne forte peiores existant:* posteriori Alexander III. illos etiam, qui à peccatis se abstinere non posse, disertè asserunt, ad pœnitentiam admittendos, rescripsit. Sed textus isti necessitatem illam dubiam minimè reddunt; quia priori sermo non est de remissione culpæ & pœnæ æternæ, sed solummodo temporalis: quæ non inflicta subditorum non respiciuntur & correctorum peccata majoris mali vitandi causâ quandoque tolerantur, *can. Schisma 24. q. 1. Glossa in can. est. & Strein. hic. n. 5.* Posteriori verò, à peccatis se non posse abstinere, asserentes, ad peccatorum quidem suorû confessionem admittuntur; ut salutaribus consiliis & admonitionibus ad veram pœnitentiâ perducantur: absolutionem tamen Sacramentalem & peccatorum veniam, nisi vitæ emendationem seridè promittant, non consequuntur, *Barbosa in c. Quod quidam cit. n. 5. & Strein. hic. n. 5. object. 3.*

REGULA VI.

Nemo potest ad impossibile obligari.

Impossibile alicui generatim dicitur **I.** omne id, quod præstari ab eo non potest. Cujus ad hanc Regulam à Glossa recensitæ species complures à Barbosa *hic n. 2.* & Interpp. aliis ad duas reducuntur: & quædam de Facto, alia de Jure impossibilia dicuntur. De Facto impossibile est, quod, personæ facultatibus, loci, temporis aliisque circumstantiis consideratis, secundum ordinarium Dei concursum ab eo fieri non potest: sicut cuivis homini est suscitare mortuum, oculum erutum cæco restituere, digitò tangere cælum, lunæ cornua detrahere &c. §. *Impossibilis 11. Instir. de Inutil. Stipul.* De Jure autem tale est, quod, licet, circumstantiis illis attentis, absolutè queat, honestè tamen, ob Naturalis, Divinæ, aut humanæ legis vel legitimi Magistratûs prohibitionem, fieri non potest, *c. fin. de Pactis & can. Faciat 15. junctâ Glossâ V. Non potest. 22. q. 2.*

Addunt aliqui speciem tertiam impossibilem Moraliter, & talia dicunt, quæ de Facto quidem & de Jure etiam, at non nisi cum ingenti difficultate, magnò damno, periculò &c. fieri possunt, *l. Nepos 125. ff. de V. S. Menoch. de Arbitr. casu 237. n. 24.* Sed, licet id non male, minus tamen propriè & appositè; propriè enim & in propositæ Regulæ sensu impossibilia

B b b

ca tan.

ea tantum sunt, quæ de facto vel de Jure infactibilia sunt, Barbola *hic. n. 2.* & Strein. *num. 1.*

3 Sensus ergo Regulæ generalis est, *Neque auctoritate legis, neque præceptis aut sententiâ judicis, neque ultima voluntatiâ dispositione, neque pactione aliquâ vel contractu, neque voluntate & promissione propriâ obligari quis potest ad aliquid, quod sive per rerum naturam & de Facto, sive de Jure, id est, justè honestèque fieri non potest; Impossibile enim nullâ, undecunque orta, obligatio est, ut Canonica huic consona Juris Civilis Regula 18 §. habet. Ratio utriusque est; quia omnis obligatio est ad aliquid dandum vel faciendum seu præstandum, l. Obligationum 3. pr. ff. de O. & A. ea autem, quæ sive per rerum naturam & de Facto sive de Jure impossibilia sunt, dari fierique & præstari non possunt. Confirmatur; quia obligatio parit actionem sive jus petendi in judicio, §. 1. Instit. de Action. id autem, quod de Facto vel de Jure impossibile est, eò ipsò; quòd dari fierique & præstari nequeat, etiam peti in judicio non potest.*

4 Non desiderantur tamen casus, qui Regulæ sic declaratæ firmatæque generalitatem suadeant restringendam; nam primò valet institutio hæredis, legatum relictum, imò & conjugium initum sub impossibili conditione, §. Impossibilis 10. Instit. de Hæred. instit. & c. fin. de Condit. appost. Secundo, hæres obligatur ad præstationem legati, Reipublicæ relictæ ad opus, quod prohibitum lege, proindeque de Jure impossibile est, l. Si sexuum 9 §. 1. §. 6. ff. de V. O. Tertiò, impossibilis est evitatio omnium casuum fortuitarum: ad quam tamen obligatio dari potest; cum subsistat conventio, quâ quis eos in se suscipit, l. Quæ fortuitis 6. C. de Pignorat. Act. Quarto, si res, quæ promissa est, perimatur, peti etiam post interitum po-

test: licet post hunc dari amplius non possit. Quintò, difficilia æquiparantur impossibilibus, arg. l. fin. C. de Contrab. empt. & tamen difficultas non impedit obligationem, l. Nepos cit.

5 Hæc tamen minimè derogant Regulæ generalitati. Primum; quia in ejusmodi voluntate ultima impossibilis conditio pro non adjecta seu non scripta habetur; quòd, defunctum intestatum decedere non voluisse, præsumatur: & quia voluntatem suam declarare ipse jam non potest, eam leges in dubio sic interpretentur, ut conditio ab eo pro possibili & honesta habita, vel, ut in ultimis voluntatibus non seriò adjecta intelligatur, & non attendatur, §. Impossibilis cit. l. 1. Si quis 6. l. Conditiones 9. Et. ff. de Condit. instit. Simili modò in matrimoniis, ob non minorem ipsorum quàm ultimarum voluntatum favorem, conditiones, quæ de Facto vel de Jure impleri non possunt, in dubio jocò potius quàm seriò, & contractum firmandi potius, quàm excludendi animò adjectæ præsumuntur, ut plenius dictum Lib. 4. tit. 5. à n. 20.

6 Alterum; quia hæres legatum præstare tenetur ad opus lege non vetitum, sed permissum honestumque; quòd defunctus perturbatæ mentis errore expressisse illicitum; revera autem liciti honestique operis constructionem voluisse præsumatur; ut suprema ipsius voluntas valeat potius, quàm pereat, & legibus accommodetur. Et si, quando ejus dispositio legibus non adversatur, id, quod verbis non expressit, nec cogitasse plerumque præsumatur, l. Labeo 7. §. 2. ff. de Suppell. legat.

Tertium; quia casus fortuitos in se suscipiens se non obligat ad eorum omnium evitacionem: sed solummodo ad supportacionem remissionem refusionemve damnorum ex iis provenientium, quod impossi-

impossibile non est, Peckius *hic*, n. 12. & Strein. n. 6. quibus locis uterque & rectè monet, conventionem de ejusmodi casibus præstandis solitos tantum comprehendere, eamque non porrigi ad insolitos & infuetos, l. *Fistulas* 78. §. *fin.* ff. de *Contrab. empt.* quod etiam observat Molina *tract.* 2. de *J. & J. disp.* 495. n. 20. Gutierrez de *Juram. p. 1. cap.* 24. n. 6. & Gaill. *Lib.* 2. *observat.* 23. n. 18.

Quartum; quia, quòd res perempta peti possit, ratio est; quòd ipsa & non aliud quidpiam fuerit in obligatione: re ipsa tamen non ipsa, sed æstimatione debetur, eademque ab actore intenditur, & à iudice ex officio adjudicatur, Peckius n. 12. *cit.*

7. Ultimum; quia difficultia impossibilibus non æquiparantur, nisi eadem sit ratio utrorumque: ratio autem quoad obligationem eadem non est, sed diversa; cum dationem, factum, præstationem difficultia: non etiam impossibilia admittant.

REGVLA VII.

Privilegium Personale personam sequitur, & extinguitur cum ea.

SUMMARIUM.

1. Privilegium aliud Reale aliud Personale.
2. Personali munitus eò per se ubique utitur,
3. Id tamen ad heredes & successores non transmittit.
4. Ratio utriusque assertionis,
5. Et utriusque objectæ difficultates:
6. Quæ tamen privilegij Personali nec restitutionem,
7. Nec ad heredes transmissionem evincunt.

Privilegium aliud Personale & aliud Reale est, quorum illud directè & immediatè alicui ratione personæ, vg. ob singularem ejus experientiam, industriam, fidelitatem: istud verò directè & immediatè ratione rei vg. loci, dignitatis, officii, causæ, negotiij &c. concedi, dictum est *Tit.* 37. n. 16. quòd tanquam propriò locò hæc Privilegij partitio est declarata.

Proposita de priori Regula duas partes habet. Sensus prioris est, *Privilegium personale sequitur personam ejus, cui est concessum: ut ista eò, à concedente ad certum non restrictò, uti per se quovis locò possit;* sic enim privilegij legendi libros prohibitos, diebus esurialibus comedendi carnes, Psalmos Pœnitentiales vel Officium B. Virginis, horarum Canonicarum locò recitandi &c. munitus per se quocunque venerit, licitè eò utitur. *Per se*, inquam, & *Privilegij non restrictò* munitus. Prius; quia per accidens ejus usus aliquando illicitus est ratione scandali, aut alterius incommodi ex usu provenientis. Posterius; quia privilegium personale non simpliciter, sed pro certo tantum loco concessum, extra hunc usum utique non habet.

Posterioris Regulae partis sensus est, *Privilegium personale extinguitur & cessat, quando extinguitur seu moritur persona, cui id fuit indultum: nec transit ad heredes aliorve successores.*

Ratio utriusque partis aperta est; quia, cum privilegium personale causam in sola persona habeat fundatam, necesse est, ut eam comitetur: eaque extincta & deficiente, ipsum quoque extingatur ac deficiat, *arg. c. cum cessante 60. de Appellat.* Quæ ratio de privilegio etiam Reali illud evincit; quòd, licet personæ, quæ nunc eò gaudet, extincta ipsum non extingatur, re tamen, cui concessum est, pereun-

B b b a

pereunte: aut, si res quidem permaneat, sed titulus, ratione cuius concessum est, deficiat, v.g. si Confraternitas vel alicujus Sancti reliquiarum, ratione quarum Ecclesiarum privilegium indultum est, aliò transferantur, etiam ipsum transferatur, ut *cit. Tit. 33. n. 41.* est dictum.

5. Quantumvis autem hæc Regula ratio clara solidaque sit, utriusque tamen partis sensum accipitem reddunt Responsa Juris. Prioris quidem *can. Illa 11. dist. 12. c. Cum in juventute 15. de Præsumpt. & l. 1. c. de Senator. & Clariss.* quorum textuum primò diebus ab Ecclesia interdictis carnibus vescendi privilegium non comitatur personam privilegiatam; cum ista, si ad aliam Ecclesiam venerit, ejus à carnibus abstinentis morem servare jubeatur. Secundò privilegium Pallii, Archi- aut Episcopo indultum, istum non sequitur, hoc ipsò; quòd Palliò uti extra provinciam Archiepiscopus, & Episcopus extra diocèsin suam, etiam cum illius Archi- aut Episcopi consensu, non possit, *arg. c. 1. de Auth. & usu Pall. ubi Glossa V. Quamlibet, Panormit. & Laiman. n. 1.* Postremò personali privilegio munitus, ut non nisi coram certo iudice conveniri valeat, eò non utitur ubique; cum super contractu vel delicto alibi celebratò vel commissò, ubi deliquit aut contraxit, valeat conveniri, *l. 1. cit. & l. Interdum 36. §. 1. ff. de Judiciis.* Posterioris verò partis sensum impetunt *l. Non dubium 6. ff. de In Integ. rest. & l. Hæredes 20. C. ad S. C. Velleian.* quibus locis in integrum restitutionis & S. C. Velleiani privilegia personalia, indulta minoribus ac foeminis, ad hæredes porriguntur: uti & *Aurb. Habita C. Ne filius pro patre*, vi cujus personale privilegium mariti, ut, factò ab uxore divortio, dotis nomine conventus ad plus non teneatur, quàm salvà congruà sustentatione potest,

etiam prodest filiis ejus hæredibus, à matre ejusdem nomine conventis.

6. Hæc tamen Juris dispositiones penitus inspectæ non efficiunt Regulæ sensui; quoad partem quidem priorem; quia *can. Illa cit.* sermo est de loci consuetudine: non de persona munita privilegio; cum talis itò uti non prohibeatur; nisi aliquando ratione scandali & similium incommodorù, usui merè per accidens conjunctorum; præsertim quia peregrini locorum, per quæ transeunt, legibus particularibus per se non adstringuntur, ut *Lib. 1. tit. 2. à n. 113.* ostendi. Minorem vim habet *c. Cum in juventute cit.* Quia Pallii usus ipsa ejus privilegii concessione ad certam provinciam vel diocèsin restringitur: intra quam proinde solum Palliatum comitatur, & illam non egreditur ex mente concedentis. Neque magis urget *l. 1. cit.* quia eà relatum privilegium non censetur indultum omnino absolute: sed, si contrarium non exprimitur, tacitè includit exceptionem casus, quò privilegiatus alibi contrahit vel delinquit, ut *l. 1. & l. Interdum cit.* non obscure insinuat; ne nimium præjudicetur alibi cum ipso contrahentibus, ejusve delictò offensis, si contrahentis vel delinquentis speciale forum deberent sequi: eumque non possent convenire in loco contractus ac delicti, unde utriusque probationes peti est necesse.

7. Non plus negotii faciunt textus adducti contra sensum partis Regulæ posterioris. Priores duo; quia illa minorum ac mulierum privilegia merè personalia non sunt; cum indulta sint minori ætati & sequiori sexui ratione læsionis in rebus ac juribus suis: quæ, cum ad hæredes transeant, mirum non est, quòd ad hos etiam transeant beneficia restitutionis & S. C. Velleiani, Gomez *Tom. 2. Var. cap. 14. n. 6.* Posterior; quia ex speciali juris dispositi-

tio mali in certo genere delicti; cum eum, qui semel pejeravit aut prævaricatus est, ejusmodi delicta facile repetiturum, rationabilis ipsius Juris præsumptio fit.

5. Tertio, semel contumax non præsumitur semper contumax; cum semel peremptoriè citatus & contumaciter absens denuò citetur, *c. Ex literis 2. de Docto*: quod minimè necessarium foret, si eum in contumacia perseveraturum lege præsumeretur; cum, qui non compariturus certò scitur, non citetur, Gaill. *Lib. 1. Observat. 132. n. 8.* Sed neque hæc instantia urget; cum enim secundò citati & non comparentis contumacia gravior sit, & gravioribus poenis coërceatur, quàm non comparentis ad ejusmodi citationem primam, præsumptio perseverantiæ in contumacia non ita vehemens est; ut contra eum, tanquam in contumacia perseveraturum, sine nova citatione procedi possit; quia Jura & judiciorum ordo ad hoc exigunt; ut de contumacia manifestè & certius quàm ex ejusmodi præsumptione constet.

Quartò, juramenta Calumniæ, Fidelitatis, Obedientiæ etiam à perjuris recipiuntur & exiguntur, *c. Cum in Ecclesiis 10. de Majorit.* quia, licet hoc procedat de juramentis, quæ cedunt in præjudicium jurantis, eumque onere sive obligatione gravant: non tamen procedit, neque ejusmodi personæ admittuntur ad juramenta ipsos ab onere relevantia & cedia in præjudicium aliorum & in commodum jurantium, *Glossa in c. cit. V. Juramentum, ubi Panormit. n. 4. & Laiman. n. 3.*

REGULA IX.

Ratum quis habere non potest, quod ipsius nomine non est gestum.

SUMMARIUM.

1. Alieno nomine negotia variè geri:
2. Suoque nomine gesta rata quis habere potest.
3. Ut Juris fictione ipsius sint.
4. Sensus Regulae.
5. Quæ declaratur exemplis.
6. Firmatur ratione.
7. Et impugnatur variis instantiis:
8. Quæ tamen Regulam vel non petunt,
9. Vel solummodo declarant.

Gerere hoc loco idem est, quod administrare; ut negotium gerere intelligatur is, qui id administrat. Alterius autem nomine negotium gerere dicitur Imprimis is, qui gerit vel administrat id, quod scit nostrum & ad nos, non ad se, pertinere. Deinde qui, id ad alterum pertinere ejusque nomine geri, est protestatus, *l. Neseinius 34. V. Quid enim ff. de Negot. gest.* Demum is, inter quem & alterum intercedit amicitia; qui enim hujus fidem fecerit, negotium amici nomine gessisse, prudenter judicatur, *l. Si pupilli 6. §. 6. ff. eadem Rubr. Peckius ad hanc Reg. n. 4.*

Ratum habere est id, quod à non vero procuratore nostro nomine gestum est, comprobare & agnoscere, itaque facere suum, *l. Quod enim 12. §. 1. ff. Rem ratam hab.* Ut id, quod meo nomine gestum est ab alio, fictione Juris translativà à me gestum reputetur.

Est enim Fictio Juris triplex. Inductiva, Privativa, Translativa. Inductiva sive, ut etiam nuncupatur, affirmativa est, quæ lex vel canon fingit esse, quod non est, *vg. defunctum vivere in hereditate jacente, l. Non minus 31. in fine. ff. de Hered. instit.* Privativa, quæ è diverbo non esse fingitur, quod re ipsa

re ipsa & actu est: sicut Religiosus, dum vivit, pro mortuo habetur, *can. Placuit, 16. q. 1.* Translativa, quæ actus ab uno agente, unò tempore, locò, modòque gestus perinde habetur, acti ab agente aliò tempore, aliòve locò aut modò gestus esset, Bartol. *in l. Si is, qui 15. ff. de Usucap. n. 25.* & Barbosa *hic n. 2.*

4. Sensus itaque Regulæ est, *Id, quod ab alio gestum est, ratum quis habere ad effectum, ut per juris fictionem translativam ab ipso gestum reputetur, non potest: nisi id ab agente, non proprio suo vel alicujus tertii, sed ipsius ratihabentis nomine sit gestum;* sic enim, si Titius clericum non meò, sed suò vel alicujus tertii, nomine percussit, id ratum habere ad effectum, ut percussio quasi à me facta reputetur, non possum. Unde, licet Titii factum comprobem & ratum habeam, itaque graviter peccem, excommunicationem tamen Canonis non incurro; quòd percussio à Titio non meò, sed proprio suò vel alterius tertii, nomine sit facta, *c. Cum quis 23. in fine de Sent. excom. in 6. ubi Barbosa n. 8. & Farinac. Prax. Criminal. q. 125. n. 28.* Simili modò, si Titius nomine filii, in mea potestate existentis & peculium habentis, negotia, ejus peculium concernentia, gessit, & aliquid exoptuit de suo, licet id, quod gestum est, postea ego ratum habeam, nihilominus Titio non ad plus, quàm si ratum non habuissem; ac proinde non in solidum, sed peculio tenus duntaxat, sive quoad quantitatem peculii obligor; quòd, cum negotium meo nomine gestum non sit, id ratum habere ad effectum restitutionis vel obligationis non possum, *l. Si pupilli 6. §. 6. cit.*
6. Ratio Regulæ est; quia vera ratihabio facit negotium per fictionem Juris translativam nostrum: negotium autem, quod neque per nos ipsos, neque

per eos, quos in potestate habemus, neque mandatò nostrò gestum est, nostrum fieri nequit, nisi nostro nomine geratur; cum, ut ratihabitione nostrum fiat, consideretur mutuus consensus eorum, à quo, & cujus negotium geritur, qui in negotium gerente apertè deficit; si id nostro nomine non gessit; cum, proprio suo vel alicujus tertii nomine id gerens, respectu nostri dissentiat. Accedit; quòd, si id, quod nostro nomine gestum non est, nostrà ratihabitione evaderet nostrum, facile præjudicium fieret alicui tertio, quocum negotium est gestum; cum is fortassis & ex justa causa nobiscum negotium habere nollit: & propterea, si id nostro nomine geri intelligeret, à negotio v.g. contractu venditionis mallet abstinere.

Hæc tamen Regula complures & factis difficiles patitur instantias; nam primò electionem Prælati ratificare valent canonici Capitulares absentes, à præsentibus non vocati sed contempti: licet ipsorum nomine ab his non fuerit celebrata, *c. Quod sicut 28. pr. V. Quod si, de Elect.* Secundò, à laico indebitè factam Ecclesiæ donationem consensu suo Episcopus, *c. Cura 11. de Jure Patronat.* & ab isto vel Abbate factam rei Ecclesiæ vel Monasterii immobilis alienationem Capitulum & conventus ratam habere valent, *c. Continebatur 2. & c. Cum nos 3. de iis, qua à Prælat. Sc.* Tertio, rei suæ venditionem vel oppignorationem ab alio proprio nomine factam ratam habet dominus, ut Jure subsistat, *l. Mater 3. C. de R. V. §. 1. Si fundus 16. §. 1. ff. de Pign. & hypoth.* Quarto idem procedit in negotiis, à servo aut filio proprio nomine gestis; cum ea quoque rata habendò dominus aut pater sua faciat, *l. Si res 5. §. 2. ff. Rem ratam hab. §. 1. §. 6. ff. Quod jussu.* Quintò, receptatores furum, horum

horum instar puniuntur; quod, licet ab his illorum nomine alienarum rerum confectiones factæ non sint, ratificatæ tamen videantur ipsâ furum receptione, *l. 1. ff. de Recept. fur. & l. 1. C. de His, qui latron.*

8. Sed hæc usque similes instantiæ, quantumcumque videantur adversari, cum Regula tamen satis commodè conciliantur. Prima; quia electio per unum commune decretum fit nomine totius Collegii seu Capituli, *c. Sicut 21. junctâ Glosâ, V. Unum, de Elect.* ac proinde etiam nomine absentium id constituentium, ut nihil obstet, quò minus ab his valeat ratificari.

Secunda; quia imprimis Episcopi consensus in Ecclesiæ donationem, à laico factam indebitè, non tam ratificationis seu donationis Episcopalis rationem habet: & si ratificatio esset, eâ Episcopus sibi soli præjudicasset. Deinde; quia alienatio rei ad Ecclesiam vel Monasterium pertinentis à Prælato celebratur nomine ipsius Ecclesiæ vel Monasterii; ac proinde etiam nomine Capituli seu Conventus, Ecclesiam vel Monasterium cum Episcopo vel Abbate repræsentantis & constituentis, *can. Scire 7. q. 1. & c. Requisivisti 15. de Testament.* Ut mirum non sit, quòd à Capitulo vel conventu valeat ratificari.

9. Tertia; quia communis responsio & Regulæ quædam declaratio est; quòd, licet id, quod suo nomine gestum non est, ratum quis habere nequeat in suum commodum & utilitatem, id tamen valeat in detrimentum suum suique juris diminutionem: aut etiam, si id specialiter exposcat æquitas, quæ exigit; ut dominus rei suæ, ab alio proprio nomine venditæ ac peremptæ, venditionem ratam habere valeat ad effectum, ut rei

saltè pretium consequatur, Bartol. *in l. Est, ff. de Vi armata.* Cui hæc Regulæ declaratio limitatiõne displicet, aliam offert Barbosa *hic n. 10.* asserens *l. cist.* negotia gesta nomine domini, cuius res fuit distracta vel oppignorata; quòd alicujus nomine gestum id etiam censeatur, quod circa rem ejus est gestum.

Quarta; quia à DD. passim recepta est distinctio; vel enim, inquiunt, dominus & pater servi & filii gesta comprobant, ut dominus & pater, vel ut alius extraneus? Si prius, ab illis gesta comprobantur ea rata haberi aiunt; ut in solidum teneantur: non etiam, si posterius, & gesta, ut extranei comprobent. Unde, hoc casu dominum & patrem peculio tenui duntaxat teneri, volunt, Dynus *hic n. 12.* & alii.

Postrema; quia receptatores illi, quòd in prædæ partem veniant & fures occultent, ab iis non dissentire eosque fovere potius, quàm eorum gesta rata habere judicantur, Peckius *hic n. 7.*

REGULA X.

Ratificationem retrotrahi, & Mandato non est dubium comparari.

SUMMARIUM.

1. Sensus Regula latè patens,
2. Ex exigentis; ut actus, cum gestus est, mandari,
3. Eoque tempore ad hoc ex mandato,
4. Et sine mandato geri,
5. Atque alteri committi possit.
6. Instantia Regula objecta,
7. Eamque magis declarantes quàm infirmantes.

Sensus

1. **S**ensus Regulæ præsentis ex præcedente clarus est, *Approbatio, quâ actum seu negotium ab alio, non proprio suo vel alicujus terrij, sed nostro nomine gestum, habemus ratum, fictione Juris retrotrahitur ad tempus, quò est gestum, & vim atque effectum habet mandari;* ut proinde ex eo perinde obligemur, acsi nobis mandantibus gestum fuisset. Unde, suo nomine gestum negotium habens ratum, mandato actione tenetur, *l. Semper 60. ff. de R. I. Quò sentu acceptæ Regulæ non solum in contractibus aliisque actibus extra- & judicialibus: sed in beneficialibus quoque & aliis spiritualibus, etiam mandatum speciale exposcentibus causis: imò ferè etiam in maleficiis, seu delictis est locus, ut ad eam notant Canisius, Barbosa n. 14. & Strein. n. 2.*
2. **U**t autem eâ vi ratihabitio polleat, magnò consensu DD. exigunt Primò, in persona actum ratum habentis; ut eo tempore, quò gestus est, ipsum potuerit mandare: ex cujus conditionis defectu furiosus & amens ea, quæ ipsorum nomine furoris & amentia tempore ab alio gesta sunt, sicut cum gererentur, mandare, sic postea rata habere non possunt. Secundò; ut ratihabitio fiat eo tempore, quò, si actus vel negotium gestum non fuisset, geri ex ratihabentis mandato adhuc posset, *l. Bonorum 24. pr. ff. Rem ratum hab.* Unde à judicis pronuntiatione meo nomine interpositam appellationem ratam habere nequeo post lapsum temporis, ad eam interponendam à Jure mihi indulti; quòd, tempus illud labi patiendò, appellationis interponendæ juri videar renuntiâsse, *Dynus hic n. 5. & Barbosa n. 6.* Tertio; ut res adhuc integra, sive ratihabitionis tempore omnia in eo statu sint, in quo gesti negotii tempore fuerunt; ac proinde, ut interea jus alteri non sit quæsitum, *arg.*

c. Quamvis 8. de Rescript. in 6. Decius in l. Semper cit. n. 13. & Barbosa n. 7. Quarto; ut mandatum, consensus vel licentia non exigatur ad ipsius actus formam & substantiam vel in vim autoritatis; cum ista per ratihabitionem non suppleantur, *c. Dilecta 22. de Rescript. ubi Felinus n. 6. & Barbosa n. 16.* Quintò; ut actus vel negotium, ratihabitione roborandum, committi & geri valuerit per alium: cujusmodi actus adulterium & stuprum non sunt, *Dynus hic num. 4. & Streinius num. 2.*

His observatis factam negotii nomine nostro ab alio gesti ratihabitionem mandato comparari, sicut Regula non dubium ait, sic in dubium vocant utriusque Juris definitiones; nam Primò valet rescriptum Apostolicum ad lites mandato nostro ab alio impetratum; nec tamen plerumque valet ejus ab alio nomine quidem, sed sine mandato, nostro impetrati ratihabitio, *c. Nonnulli 28. in fine, de Rescript.* Secundò, infamis est pater filio suo mandans; ut viduam intra annum luctus ducat: ratas verò ejusmodi nuptias habens ullâ infamiâ non notatur, *l. Liberos 11. §. 4. & l. Quid ergo 13. pr. ff. de His, qui infam. not.* Tertio, mandato & autoritate tutoris interveniente, à pupillo gesta valent, quin valeant vel convalescant gesta, illius consensu & ratihabitione ex intervallo superveniente, *l. Obligari 9. ff. de Aurb. tut.* Quarto, homicidium suo nomine perpetratum ratum habens punitur quidem: at non ita graviter, ut qui id mandavit, *c. Cum quis 23. de Sent. excom. in 6.* Quintò, mandatum parit actionem mandati, *l. Licet 42. §. 2. ff. de Procurat.* contra ratihabitio negotiorum gestorum, non mandati actionem parit, *l. Si pupilli 6. §. 10. ff. de Negot. gest.*

His tamen non obstantibus mandati

C e c c

vis in-

vis indubitata competit ratihabitioni. Neque id ambiguum reddit *c. Nonnulli cit.* quia ipsa istius textus decisione ad rescripti ad lites alieno nomine impetrati formam & substantiam exigitur mandatum speciale; quod sine isto Canonis conditor id noluit valere: id autem, quod ad actus formam exigitur, ratihabitione non suppleri, dictum jam est cum Felino *cit. num. 6.*

Neque §. 4. & *pr. cit.* cum; quia pater ejusmodi nuptiarum jam initarum ratihabitione secundum Legem Christianam non peccat; quia inita, valida & insolubiles sunt; tum verò; quia, cum nuptiæ à filio suo, non paterno, sed proprio nomine celebrentur, ratificari à patre proprio non possunt; ut ejus negotium dici possint, Baldus in *l. Quia ergo cit.*

Minus urget tertio loco opposita instantia de pupillo; cum enim tutoris in ipso negotio interventus illi contrahenti necessarius sit pro forma & in vim auctoritatis, actus à pupillo gestus, tutoris consensu ex intervallo superveniente, ratificari non poterit, secundum *l. Obligari cit. junctâ Glossâ. V. Non potest, §. Tutor 2. Inst. de Auth. tutor.*

Non majorem vim habet instantia quarto loco allata; quia delictum ratum habentem id mandanti, etiam quoad poenam, æquiparari, exploratum est ex ipso *c. Cum quis cit.* Quod autem id suo nomine commissum postea ratum habens mitius quam mandans pleclatur, sit pariter; quod subsecuta ratihabitione non infloat in delictum antecedens, tanquam ejus causa physica, ut actio delinquentis, vel moralis, ut mandatum id jubentis: pariter verò; quod eadem mandatum re ipsa non fit, sed ei solummodo comparetur: propter quam causam delictum saltem quoad poenam non retrahitur quoad tempus; ut clerici percussorem suo no-

mine factam ratam habens, à solius ratihabitionis, non percussoris sive injeclæ illi manus tempore excommunicatus intelligatur, Glossa in *c. Cum quis cit. V. Sed quis, ubi Francus n. 5. & Farinac. Prax. Criminal. q. 135. n. 74.*

Plus roboris habent *l. Si pupilli §. 10. cit.* textus: qui, ut cum *l. Semper cit.* concilientur, opus est distinctione; vel enim ratum habeo negotium gestum ab alio mihi presente, vel ab absente? Si prius, mandati, *l. Semper cit. & l. Donat. rientes 25. C. de Donat. inter vir. & uxor.* Si posterius, negotiorum gestorum actio datur, §. 10. *cit.* ut hoc casu ratihabitione mandato quoad effectum & obligationem: non etiam quoad genus actionis comparetur.

REGVLA XI.

Cum sunt partium jura obscura, Reo favendum potius est, quàm Actori.

SUMMARIUM.

1. Partes in judicio sunt Actor & Reus.
2. Quorum jura Acta probatoria,
3. Et hæc obscura dicuntur, cum dubia sunt.
4. Sensus & ratio Regula:
5. Quæ in Criminalibus,
6. Et Civilibus etiam causis procedit.
7. Reus in judicij constitutione æquus,
8. Et magis favorabilis est in causa deoffensione.

Partium nomine hoc loco veniunt I. personæ, inter se de aliquo in judicio litigantes & jus sibi dici postulantes à giudice: à cujus, tanquam publicæ autoritate constitutum di-

reum dremptoris, mediò inter ipsos & honoratoriù plerumque locò confidentis, utraque parte seu latere consistere plerumque solent. Ex partium autem seu litigantium personis ea, quæ prior ad iudicium provocat, in eoque actionem vel accusationem proponit, Actor in Civilibus, & in Criminalibus causis Accusator: Reus verò ea dicitur, quæ in jus sive iudicium pertrahitur aut vocatur, Actionemque vel accusationem propullandò contra alteram se defendit, *c. Forsus 10. de V.S.*

2. Jura autem partium litigantium vocantur confessiones, testium legitime receptorum depositiones, instrumenta seu scripturæ publicæ ac privatæ, præsumptiones, juramenta aliæque allegationes in vim probationis productæ, in quibus intentionem suam actor & exceptionem suam reus fundant, Peckius *ad hanc Reg. num. 4.*

3. Obscura partium jura dicuntur, quando iudex, ponderatis juribus seu probationibus, pro & contra utramque partem adductis, non discernit, quæ alius prævaleant: nihilque est, quod ipsi persuadeat, pro aut contra quem sententiam ferre oporteat pronuntiando. Unde

4. Regulæ sensus est, *Quantumvis iudicem à favore & speciali in partium alteram affectu & propensione, quantum potest, oporteat esse alienum: casu tamen, quò probationibus & allegationibus omnibus æquò iudicij ponderatis, quæ alteri prævaleant, non apparet, reo potius favendum est, quàm actori, ut per sententiã ille potius absolvatur, quàm isti condemnentur.* Quò sensu favorabiliores rei potius quàm actores habentur *Reg. 12 s. ff. hanc Rubr.* & jura proniora ad absolvendum, quàm condemnandum dicuntur *c. Ex literis 3. §. fin. de Probat. & l. Arrianus 47. ff. de O. & A.*

Ratio Regulæ est partim; quia in

iudicium actor sponte, quando ipsi lubet & paratus venit, reus inopius & imparatus pertrahitur: actor aggressoris & impetentis, reus vim propullantis sequentis partes sustinet: reus pro libertate, in cujus possessione est, actor verò pro ejus obligatione & quasi servitute certat. Equitatis autem ratio dicitur, magis favendum ei, qui invitus, inopiusque & imparatus, sequenti tuendi necessitate, proque libertate in iudicio versatur, quàm ei, qui id pro libitu suo paratusque & alterum aggrediendi sibi que obligandi & quodammodo subjicendi studio sponte subit: partim verò; quia in dubio proferendum, quòd humanius ac tutius est: humanius autem est absolvere quàm condemnare: tutiusque erroris periculum subire, Deoque rationem reddere pro iniqua misericordia, quàm pro injusta crudelitate *l. Absentem 5. ff. de Penis: quorum prius nocentis abolutione, potterius innocentis condemnatione contingit.*

Sic declarata firmatæque Regulæ vigore imprimis in causis Criminalibus reus in dubio semper absolvendus: imò condemnandus nunquam est: nisi obiectum ei crimen idoneis testibus, vel apertissimis documentis, vel iudiciis indubitatis & luce clarioribus fuerit probatum, *l. fin. C. de Probat.*

Deinde in iisdem causis, quando reus, adductis ab actore probationibus ac præsumptionibus, non quidem de crimine convictus, sed tamen valde gravatus & suspectus redditus est, & propterea recurritur ad juramentum, hoc in vim probationis actori nunquam: reo tamen ad se purgandum aliquando permittitur, *ut Lib. 2. Tit. 24. à n. 36.* est dictum.

Demum in causis Civilibus, licet pronuntiandum pro ea parte sit, cujus causæ merita probabiliora: & si ista omnino æqualia sint, causa remittenda ad

C c c c 2

superio-

superiorem, vel partibus suggerenda, quibus causa ex utriusque consensu terminetur, ut *Lib. 2. Tit. 27. a. n. 55.* est explicatum: casu tamen, quò actor pro intentionis suæ probatione vel nihil omnino, vel saltem, quod illam probabilem reddat, assert, *c. fin. de Dolo*: imò etiam casu, quò an ab ipso & reo deducta æqualia sint, dubium manet, secundum Regulam hanc reo potius quàm actori favendum: & ille vel absolvendus, vel saltem juramentum suppletorium in causis hoc admittentibus reo potius deferendum est quàm actori, *c. fin. §. Sanè, de Jurejurando* & ad hanc Rubricam dicta *a. n. 33.* Nisi tamen litigantium alter in possessione vel actoris causa favorabilis sit, ut *cit. Tit. 27. n. 55.* adnotavi.

7. Neque hac in re actori patrocinatur; quòd ejus favore judicia sint constituta; ut scilicet, quòd suum est, recuperet, sibi que debitum consequatur: vel; quòd, cum libellò proposita ejus intentio ambigua, verbàque obscura sunt, ejus & non rei favorem spectans interpretatio præferatur, *l. Si quis 66. ff. de Judiciis.* Facilis enim ad hæc responsio est; quia ipsa judiciorum constitutio non magis favorabilis actori, quàm reo est, partim; quòd huic eà maximè sit prospectum; ne, si actor res, quas existimat esse suas sibi debitas, auferat proprià auctoritate, rerum suarum jacturam & injuriam facillè patiat: partim; quia non minus benignè reus in judicio auditur, quàm actor: & sicut isti actionis, sic reo exceptionis seu defensionis & verborum suorum declaratio est permissa: & utraque in favorem ejus, à quo proposita & prolata sunt, accipiuntur. Accedit; quòd actor magis favorabilis in judiciorum præparatione: non tamen magis quàm reus favorabilis sit in decisione, Dynus

hic n. 7. cum, illò intentionem suam non probante, iste, licet nihil præstitit ac probàrit, absolvatur, §. *Sanè cit.*

REGULA XII.

In Judiciis non est Exceptio personarum habenda.

SUMMARIUM.

1. *Judicij nomen hic sumitur latè.*
2. *Personarum Exceptio vitium Justitiæ adversatur.*
3. *Sensus & declaratio Regule,*
4. *Ejusque vario.*
5. *Objecta ei instantia*
6. *Ex speciali ratione vitio caret.*

Judiciorum nomen DD. plerique hic latè sumunt; ut eò non solum controversiæ, quæ est inter actorem & reum, discussio, definitioque: sed omnis actus intelligatur, in quo juris, meritum, qualitatis aut aptitudinis ratio, Commutativà vel distributivà Justitiæ poscente, est habenda, Dynus *hic n. 7.* Barbosa *n. 3.* & Strein. *n. 1.*

Exceptio personarum, quam ab iis Regula remover, est Vitium, quò id, quod Justitiæ poscente, personæ debetur uni, alteri, non juris, meritum, aut qualitatis, ipsum præ aliis aptum dignumque facientis: sed propter ejus conditionem vel qualitatem ad id, quod accipit, nihil conferentem, v.g. intuitu pulchritudinis, cognitionis, vel alterius necessitudinis tribuitur, Laiman *Lib. 4. tract. 2. cap. 15. n. 6.* Peck. *hic n. 2.* & Strein. *n. 1.*

Quare latè patens Regule sensus est, Neque in litium inter partes controversarum judiciali vel arbitraria definitione, neque

neque in dignitatibus, beneficiorum, officiorum ac munerum collatione, neque in bonorum vel onerum communium distributione, neque in aliis actibus, quibus aliquid ad id jus habenti vel bene merito vel certam qualitatem habenti debitum, & ex Commutativa vel Distributiva Justitia tribuendum est, id tribus debet aliis, intuitu conditionis vel qualitatis ad id, quod tribuitur, nihil conferentis, Dynus hic n. 7. Ex Justitia, inquam; quia, si id, quod tribuitur, neque ex Commutativa neque ex Distributiva justitia uni præ aliis debitum esset, ut vg. pecunia eroganda in pauperes, in ejus erogatione, personas consanguineas, familiares vel populares aliis præferendò, peccatum acceptionis personarum non committeretur. Unde, cum Dominus Deus dona & gratias suas nemini debeat, ea uni præ aliis aut liberalius communicandò, personarum acceptor dici non potest, Barbosa hic n. 4.

4. Ratio Regulæ est; quia Justitia intendit æqualitatem, Commutativa quidem Arithmeticam, ut vocant, quæ alicui datum restitutum ejus juri perfecte, ut vg. solutio millenorum totidem debito æquatur: Distributiva autem Geometricam, quæ res, dignitas, vel munus publicum, bona vel onera communia civitatis personarum meritis, qualitibus, idoneitati aut facultatibus ita respondent; ut his inter se comparatis ea, quæ meritis, qualitibus vel idoneitate alteram superat, vel ampliores habet facultates, tantò honoratius munus, vel de bonis communibus plus consequatur, vel ad publicam necessitatem sublevandam plus contribuat, quantum alios meritis, qualitibus, idoneitate aut facultatibus excedit, S. Thomas 2. 2. q. 61. art. 2. & 3. & Laiman Lib. 3. tract. 1. cap. 4. n. 2. Quarum æqualitatum alteram cum personarum acceptio lædat, Justitiam Commutativam

vel Distributivam corumpit, S. Thomas q. cit. art. 4. & Vivianus in hanc Reg.

Non caret tamen etiam hæc Regula difficultate; cum ea enim apertè pugnat Primò can. Clerico 37. dist. 50. & c. Nisi speciali 3. de Offic. legat. quò locò utròque Papa, ex speciali affectione sua in personas, delicti pœnam remittit. Secundo; quòd ex iisdem facinoribus aliter servi quàm liberi puniantur, l. Aut facta 10. §. 4. ff. de Pœnis: in maritum & uxorem adulterii reos, licet eorum delicta gravitate inæqualia sint, pœnæ æquales sint constitutæ, can. Indignantur 32. q. 6. & æqualia inæqualibus pœnis vindicentur: imò delinquentium æqualium unò puni- tō alter absolvetur, arg. l. Ad bestias 31. ff. de Pœnis. Tertio; quòd ex legis dispositione pupillus mitius habeatur, quàm major, quocum sine tutoris autoritate contraxit; cum major pupillo, non vicissim hic illi obligetur, l. Julianus 13. §. 29. ff. de Act. empti. Quæ omnia cum personarum sapiant acceptionem, huic quoque locus in judiciis erit.

6. Sed non recedendum à Regula, quam deducta non tam convellunt quàm declarant. Primò; quia can. & c. cit., procedunt in solo Principe supremo; hic enim cum legibus suis superior sit, pœnas iis constitutas laudabiliter aliquando mitigat vel remittit; cum nulla virtus sit, quæ Principem magis quàm Clementia commendat. Secundo locò allegata; quia aliquando diversa similis & gravitate dissimilis criminis reis eadem pœna Jure constituta est ex gravibus justisque & fere publicæ utilitatis causis, quas latè discussas dedit Tiraquell. de Pœnis temp. causa 7. §. 8. & 9. Postrema; quia pupillis non idem Jus, quod ætate majoribus, lege statuendi justissima æquitatis & miserationis ratio poscebat; quòd propter ætatis imbecillitatem, infirmitatem judicii & aliquan-

Cccc 3

aliquando defectum discretionis obnoxii sint deceptionibus, damnisque; atque idcirco adversus hominum calliditatem & circumventiones speciali Juris favore muniendi viderentur, l. 1. pr. ff. de Minoribus.

REGULA XIII.

Ignorantia Facti, non Juris excusat.

SUMMARIUM.

1. Ignorantia differt ab Errore.
 2. Alia Facti est & alia Juris:
 3. Alia Probabilis seu Invincibilis, alia Vincibilis:
 4. Et hæc plerumque Crassa, & aliquando Affectata est.
 5. Crassa & affectata non excusat:
 6. Sed probabilis, si sit facti alieni:
 7. Nisi hoc sciri debuerit & facile potuerit.
 8. Objecta difficultates tolluntur.
 9. Juris ignorantia non excusat:
 10. Nisi jus sit dubium aut persona privilegiata:
 11. Vel de incurrenda censura,
 12. Aut de damno vitando agatur.
 13. Juris periti consulendi sunt, ut non obfit ejus ignorantia:
 14. Qua frequenter nocet etiam in delictis.
1. Ignorantiam JCT. aliqui cum Errore, sed perperam confundunt; cum iste in judicio intellectus falso: ignorantia in privatione seu carentia alicujus notitiæ vel scientiæ consistat, S. Thomas in 4. dist. 30. art. 1.
Est autem ignorantia alia Facti, alia Juris, Rubr. & l. 1. ff. de J. & F. J. qua-

rum ista datur, cum quis caret scientiâ legis, vel canonis aut consuetudinis legitime præscriptæ, vg. contractum, quod ultra sortem creditam vi mutui solius aliquid exigitur, esse usurarium, rei Ecclesiæ immobilis alienationem non solennem invalidam, clerici percussione excommunicationem reservatam incurri: illa verò seu Facti ignorantia, cum quis nescit, aliquid actum vel omissum, aut hoc illòve modò peccatum, vg. vi solius mutui aliquid ultra sortem exactum, in alienatione solemnitates non intervenisse, eum esse clericum, qui fuit percussus. Posterior hæc ignorantia aliquando est facti proprii, vg. ante 30. annos prædium à se venditum: aliquando & plerumque alieni, vg. prædium venditum à Titio, vel clericum ab eo percussum.

Utraque hæc Juris & Facti ignorantia aut Invincibilis est aut Vincibilis: in cuius partitionis explicatione multum variant DD. ex quibus aliqui, nec male, advertunt eius membra non eodem modò fumi in utroque foro. In externo enim, in quo scire quilibet præsumitur id, quod ejus status & conditio requirit, invincibilem sive probabilem & justam ignorantiam habere, is solummodo censetur, qui nescit id, quod ejus status & conditio non requirit: contra id, quod ejus status & conditio requirit, nesciens, vincibilem sive non probabilem aut justam ignorantiam habere, ex præsumptione illa judicatur. In interno autem sive Conscientiæ foro invincibilis & inculpabilis ignorantia est, cum quis ignorat id, quod scire hic & nunc non potest, vel quia non incidit per ullam cogitationem aut suspitionem, quâ ad indagacionem moveri potuisset: vel quia, licet inciderit, non tamen habet vel habere potest, à quo rei veritatem edoceatur. Vincibilem autem & culpabilem dicunt, quâ quis ignorat id, quod

quod scire tenetur, & scire hic & nunc, si velit, potest.

Vincibilis ignorantia fere Crassa & aliquando Affectata & Crassa seu supina laborat, qui ad id, quod scire debet, intelligendum nullam vel non debitam adhibet diligentiam; Affectatam, qui id, quod scire deberet, scire non vult, aut etiam, ne sciat, cavet; ut liberius delinquat, juxta illud, *Noluit intelligere, ut bene ageret*, Psalm. 35. v. 4. Laiman *Lib. 1. tractat. 2. cap. 4. n. 4.* & alii TT. qui à peccato excusandi vim, quam in foro interno ignorantia habet, accuratè discussam dabunt.

4. Præsens & externo foro accommodata Regula duas habet partes: quarum una de Facti, altera de Juris ignorantia & non de crassa ac supina; has enim seu Facti seu Juris sint, non excusare, res explorata & ratio perspicua est; quia ignorare, quod scire deberet, atque ejusdem statûs & conditionis homines omnes sciunt, & scire ipse facillè potest, deperditi ac locordis, & propterea inexcusabilis hominis est. *l. Plurimum 3. §. 1. l. Nec supina 6. l. Regula 9. §. 2. ff. de J. & F. J.* cum crassa & supina multo que magis affectata ignorantia, æquiparetur scientiæ, *c. fin. de Constitut. in 6. c. Eos, qui 2. de Temp. Ordinat. in 6.* scire enim, & scire debere ac posse, jure paria sunt, *c. fin. §. Si quis, de Clandest. de spons. & l. si Filius 48. pr. ff. de Fidejuss.*

5. Quare prioris Regulæ partis sensus est *Probabilis & justa facti alieni ignorantia in foro externo excusat*, *l. 1. §. 1. l. In omni 2. Ec. ff. de J. & F. J.* Ratio est; quia aliena facta ob nimiam multitudinem, varietatem, obscuritatem etiam prudentissimos facillè latent ac fallunt; ut propterea in dubio eorum ignorantia præsumatur, *l. Verius 21. ff. de Probat. Alieni*, inquam; quia proprii facti ignorantia non excusat, *c. Ab*

excommunicato 41. de Rescript. & l. Quaquam 7. ff. ad S. C. Vell. quòd nemo prudens præsumatur, ignorare factum suum: nisi hoc antiquum vel intricatum, vel ipse multis negotiis implicatus, aut versatus sit in extremis, Menoch. *Lib. 6. præsumpt. 23. à n. 34.* & Barbosa *ad banc Reg. n. 21.*

6. Exciipiuntur ab hac Regula facta aliena, quæ scire & investigare quis debuit & mediocri diligentia potuit; quòd facta publicè aut valde notabilia ac ponderosa, vel publicè denunciata sint; talium enim factorum ignorantiam non excusare, communis sensus est DD. *cit.* Menoch. *à n. 51.* & Barbosa *n. 22.*

Neque huic Regulæ parti præjudicat; quòd *can. Lectum 34. q. 2.* pœnitentia injuncta sit marito ob concubitum cum sorore uxoris, cujus absentis & mariti ignorantis lectum illa furtivè ingressa erat; quia *can. cit.* decisio pro Regula potius quam contra eam facit; cum eà maritus adulterii reus non habeatur, si affinis suæ factum probabiliter ignoravit. Neque refert; quòd injuncta ei fuerit pœnitentia; quia hoc ad majorem cautelam factum &, vel ad tollendum scandalum, vel ad expiendam, si quæ in incestu & adulterio præcavendo negligentia, aut culpa intercessit.

7. Cum eadem non pugnat *l. Cum pararem 36. ff. Famil. heresic.* quòd textu facti error nocuit ei, qui alium in cohæredem, cum non esset, ignorans admisit in divisione hæreditatis; cum nihil repetere potuerit; quia, cum divisio facta fuerit autoritate judicis, eà obtenta restitutioni obnoxia non fuerunt propter autoritatem rei judicata: cujus ea vis est; ut, quod de bonis nostris per errorem ad alium pervenit, repeti, non possit, *arg. l. Ingenuum 25. ff. de Statu hom.* licet repetitio denegata non fuisset, si divi-

no extra iudicium contigisset, *l. Si post divisionem 4. C. de J. & F. J.*

8. Neque contra Regulam est; quod heres ex contractu defuncti tanquam alieno facto conveniatur, etiamsi hoc ignorarit, *arg. l. Pro hereditatis 2. & l. fin. C. de Heredit. act.* hoc enim ideo fit; quod Juris fictione heres una persona reputetur cum defuncto, *Novell. 48. pr.* & in istius jus universum, sicut quoad dominium rerum hereditariarum aliaque commoda, sic etiam quoad onera & debita sive obligationes succedat, *l. Hereditas 62. ff. de R. J.*

9. Posterioris Regulæ partis sensus est, Ignorantia, si sit legis vel canonis vel receptæ consuetudinis, non excusat, subintellige, quoad acquirendum, *l. Juris 7. ff. de J. & F. J.* non etiam quoad rei sue amittenda damnum; cum de vitando damno, sive re sua non amittenda certanti non obest, *l. cit. & l. Error. 8. ff. eadem Rubr.* quò textu relatus Papinianus Generaliter, ait, *omnibus Juris error in damnis amittenda rei sua non nocet.* Ratio Regulæ est; quia leges ab omnibus intelligi & sciri debent, *l. Leges g. C. de LL. nec cuiquam permittitur, eas ignorare aut dissimulare, l. Constitutiones 12. C. de J. & F. J.* adeò; ut Juris ignorantia culpa lata reputetur, eamque præterdens, tanquam propriam turpitudinem allegans, non sit audiendus, Baldus in *l. Cum qui 10. C. ibid.* Bartol. in *l. Quod Nerva 32. ff. Depositi n. 2. & 7. & Gaill. Lib. 2. observat. 48. n. 17.*

10. Exceptionem tamen etiam hæc Regulæ pars admittit Inprimis Juris; cum si hoc non clarum, sed ambiguum controversumque sit, ejus error & ignorantia excuset; ut etiam acquirere volentibus non noceat. Deinde personarum; quia militibus ac minoribus Juris ignorantia etiam in compendiis non obest, *Regula cit.*

§. 1. l. 1. & l. Quamvis 1. C. de J. & F. J. Eandem feminis quoque & rudibus aliis, si quos consulant, Juris peritorum copiam non habeant, non obesse, *arg. l. Regula cit. §. 3.* communis sensus est DD.

Sic etiam restrictæ huic Regulæ parti obijciuntur Juris decisiones; quia sententis Ordinariorum per statuta latis ignorantantes non ligantur, ex Rescripto Bonifacii VIII. *c. fin. de Constitut. in 6.* & ex responso Papiniani, per ignorantiam Juris re sua uti alterum passus sibi non præjudicat & imò generaliter ignorantia suum petentibus non nocet, *l. Qua fidei commissa 79. ff. de Legat. 2.* Simili modò Vlpianus, venia dignum, ait, qui Juris ignorantia aliquid perperam negavit, aut est confessus, *l. De astate 11. §. o. ff. de Interrogat.* Sed expedita responso est ad *c. fin. cit.*; quia istò sermo est de sententis censurarum, ut contrahantur, exigentium contumaciam & potestatis Ecclesiasticæ sub censura punientis contemptum, *c. Sacro 48. de Sent. excom. & c. Ex parte 23. de V. S.* quæ monitionem & sub censura factæ prohibitionis notitiam requirit, ut *Tit. 39. d. n. 16.* est dictum. Equè facillè occurritur responso Papiniani; quia de suo non amittendo & de damno vitando certantibus patrocinatur; ne scilicet cum ipsorum jactura alius locupletetur & continuet alienæ rei iniustam possessionem. Non difficilior est responsum Vlpiani; quia de justo Facti, non de Juris errore exaudiendum est; cum agat de errore negantis, se esse hæredem, quæ facti negatio est.

Eadem pars impugnatur ratione; 12. quia leges aptantur ijs, quæ frequenter & facillè eveniunt, *l. Nam ad ea 5. ff. de LL. frequenter autem & facillè ignorantur Jura;* cum hæc plurima sint, & à maxima hominum parte ignorentur; ut proinde
Juris

Juris quoque ignorantiam exculare conueniens fit. Sed ratio hæc veri speciem maiorem, quam vim habet; quia imprimis personæ rudiores jam sunt exceptæ. Deinde; quia, licet multi fiat, qui Jura ignorant, ea tamen ab omnibus sciri, aut saltem in actibus grauioris momenti prouti consuli in judicialibus, & aliquando adhiberi in extrajudicialibus possunt ac debent. Vt proinde scientiæ Juris, ad ipsos pertinentis, præsumptio ipsis quoque sit aptata.

14. Dubium est, an ignorantia excuset in delictis. in quo ex frequentiori DD. calculo Facti, non Juris ignorantia excusat: nisi: ut delinquens mitius puniatur; imò præterea Naturalis ac Divini Juris ignorantia nec ad poenæ mitigationem proficit, l. Si adulterium 38. §. 1. Et ff. ad L. Jul. de Adult. ubi Bruneman. n. & Anton. Matthæ Tit. 3. cap. 6. n. 3. & 4. Quod si humani tantum Juris aliquid vetantis vel etiam præcipientis ignorantiam omnino inculpata fuisse legitime probaretur, transgressorem à poena omninò liberaret, Azor p. 1. Instit. lib. 1. cap. 16. q. 2.

REGULA XIV.

Cum quis in jus alterius succedit, justam ignorantiam causam habere censetur.

SUMMARIUM.

1. Accepto nomini Successio.
2. Sensus & ratio Regulae.
3. Heres ignorans poenam præstat ex contractu defuncti.
4. Cujus facti ignorantia illum aliquando,
5. Non semper excusat.

Successionis nomen hoc loco sumitur late; ut non eum duntaxat, qui in vniuersum jus defuncti ab intestato vel ex testamento succedit: sed legatarium quoque & fideio commissarium, donatarium, emptorem & alios, in rebus singularibus aliis succedentes afficiat: imò etiam porrigatur ad Prælatos & alios in dignitate, beneficio, vel officio alteri quouis modo successores, Canisius ad hanc Reg. pr. & Barbofan. 3. Vnde

Regula hæc quædam declaratio proximè præcedentis, ejusque sensus est, In alterius jus & locum succedenti obesse non debet, si id, quod ab autore vel antecessore suo gestum est, ignoret: quod etiam asseritur Regula 42. pr. in Pandectis. Ratio utriusque est; quòd successor reuera alius sit ab autore & antecessore, in cuius jus vel locum succedit: alieni autem facti ignorantia sit iusta, & ignorantem excuset, secundum proximè declaratæ Regulae partem priorem.

Neque Regulae huic vim adimit primò; quòd, si Titius post millena ad certum diem Cajo sub poena 50. promissa ante conuentæ diei aduentum decedat, poenam præstare etiam teneatur hæres, si millena constituto die non fuerint soluta, l. Ad diem 77. ff. de V. O. Et fin. ff. de Nautico, Foen. luculentò argumentò, in alterius jus succedentem justam ignorantiam causam non habere. Sed hoc Regulae vim non eneruat; cum, quòd poena ab hærede præstanda sit, non proveniat ex hæredis factò: & poena etiam præstanda sit, quando solutionis terminus ante hæreditatem aditam est lapsus, l. Ad diem cit. sed ex contractu: ex quo, sicut debita cætera, sic etiam adjectam poenam soluere hæres tenetur, suâ ignorantia ipsi nihil patrocinante, Dynus ad hanc Reg. n. 2. & Bruneman in l. cit. n. 1.

Neque secundo obstat, quòd successor

D d d non

non debeat esse melioris conditionis, quam fuit autor: & ne creditoribus præjudicetur, circa obligationem ex persona hæredis aliquid novi non induci, *Reg. J. qui in jus 46. in 6.*; ac proinde ignorantiam prætere, sicut non potuit defunctus, sic nec hæres possit; facillima enim responsio est quoad partem quidem priorem; quia successor non est alterius aut melioris conditionis, quam autor, quando eadem est utriusque: non etiam, quando, ut hic, alia ratio est successoris; cum iste factum authoris probabiliter ignorare: non etiam suum author possit. Quoad partem verò posteriorem; quia, cum hæres ignorantiam prætere, obligatio principalis non mutatur, substantia ejus eadem manet, non variatur res debita & contrahentium intentio non læditur: sed ipse hæres ob ignorantiam à culpa & mora defenditur, *Zacius in l. Stipulationum 2. §. Ex his 2. ff. de V. O. n. 15.*

5. Neque tertio; quod hæres succedat in vitium defuncti ad eum; ut istius rem, quam scivit esse alienam, possidentis mala fides ipsi quoque noceat, quod minus præscriptionem à sua bonæ fidei possessione valeat inchoare & complere, § *Diutina 12. Institut. de V. sup. §. l. Cum hæres 11. ff. de Diversis tempor. præscript.* Quia hæc est una ex Regulæ limitationibus; cum enim hæres justam ignorantiam habere dicitur, excipitur imprimis, *Nisi agatur de causa lucrativa*; cum enim de tali agitur, propriam ignorantiam hæredi non patrocinari, ex § *Si res legata 16. V. Si verò, Institut. de Legat. desumit Decius ad Reg. 42. cit. n. 4.* præscriptionem autem causam lucrativam esse, planum est; cum ejus beneficiò rei non suæ possessor cum alieno damno locupletetur. Deinde, *Nisi agatur de iis, quæ continentur in testamentis*; quod eorum notitiam post aditam

hæreditatem habere hæres præsumatur. *Non ferendum 12. ff. de Transact. Deumum, Nisi hæres agat*; nam qui agit, certus paratúsque esse debet, & remanté habere exploratam; cum in ejus potestate sit, quando velit, experiri, *Reg. 42. cit. §. l. Purè 5. §. fin. ff. de Dolis mali excepti, Decius l. cit. à. n. 3.*

REGULA XV.

Odia restringi & Favores convenit ampliari.

SUMMARIUM

1. Sensus & ratio Regule.
2. Que dispositio Favorabilis, vel Odiosa sit, DD. variant.
3. Verfimilior explicatio Favorabilis.
4. Variis exemplis declaratur.
5. Admittit tamen exceptionem in casibus bitiosis.
6. Explicatio dispositionis Odiosæ.
7. Variis exemplis firmatur.
8. Et exceptionibus restringitur.
9. Dispositio partim favorabilis, partim odiosa esse potest.
10. In dubio favorabilis censetur.

F Amigeratæ istius usque tritissimæ Regulæ sensus est, *Legales aliæque dispositiones odiosæ exigunt strictam: favorabiles autem latam interpretationem admittunt.* Qui sensus, ejusque ratio expedita foret, si exploratum esset, quam lex, canon, statutum aliæve dispositio favorabilis vel odiosa sit; cum illam extendi, hanc contrahi oportere, suadeat ratio humanitatis: quæ hominem addeceat, & ad liberandum, quam obligandum reddit priorem, *l. Arrianus 47. ff. de O. & A.* Quamnam autem dispositio favorabilis, quæ odiosa sit, dubitandi ratio est; quod

quod frequenter admodum id, quod favorem & commodum uni, alteri præjudicium afferat & gravamen. Quæ ratio DD. ita reddidit perplexos; ut favorabilem dispositionem ab odiosa discernendi Regulas alias aliasque excogitarent; Tiraquellus enim *de Retract. ligu. Prefati-on n. 65.* favorabile esse, ait, quæ favorem, benevolentiam, gratiam provocat: odiosam verò, quæ excitat odium, id est fastidium; ut quæ dispendium ac poenam infert. Eodem fere sensu, sed aliis verbis Sanchez *Lib. 1. de Matrim. disp. 1. n. 5.* dispositionem, cuius finis principalis est, favorem præstare, pro favorabili habet: licet in odium & damnum alicujus redundet. Sed explicationes istæ non carent difficultate; cum secundum eas contra Glossæ & aliorum DD. communem sensum favorabilis & ad similes casus extensionis patiens fuisset dispositio, quæ Anglis recens ad Fidem convertis nuptiæ cum consanguineis & affinibus erant permittæ, *can. Quadam lex 20. V. Quod scripsi, 35. q. 3.*

2. Rursum aliis verbis, sed sensu non multum diverso, Palao *Tract. 3. disp. 1. p. 2. n. 6.* hac in re præ oculis habendam, ait dispositionis materiam; ut, si v.g. lege præcepta materia iis, quibus præcipitur, conveniat, illa favorabilis: odiosa verò sit, cujus materia his conveniens non est. Sed huic quoque explicationi adversatur instantia memoratæ permissionis nuptiarum; cum enim ista conveniens fuerit nationi Anglicanæ, cui ejusmodi nuptiæ permittæ quondam fuerunt, permissio tanquam favorabilis in casu simili locum haberet. Accedit; quod hæc & proximè relatæ explicationes dispositionibus particularibus non facile applicentur, & ad favorabilium ab odiosis discretionem vix, & ne sic quidem, sufficiant.

3. Quare, *civ. DD.* iudicio salvò, mihi

res non simplici aliqua assertione definienda, sed oratione explicatori favorabiles dicendæ videntur leges, canones, statuta, privilegia & dispositiones, quæ continent merum Principis beneficium, sine derogatione Juris communis & tertii præjudicio vel damno; quod hujusmodi saltem illius beneficium latissimè interpretandum, Regula sit *l. Beneficium 3. ff. de Constitut. Princip. & c. Cum dilecti & de Donat.* quæ concernunt bonum animarum Fideique & Religionis Christianæ, *arg. l. Sunt persona 43. ff. de Relig. & sumpt. fun.* quæ summa ratio esse dicitur, quæ facit pro Religione: quæ aliquid discernunt in bonum Ecclesiarum, Monasteriorum, hospitalium, vel alterius causæ Piæ, *arg. l. cit. Glossa in c. Sciant 12. V. Alios, de Elect. in 6.* quæ ad privatum & commune Jus reducunt, *Glossa in c. Statutum 3. V. Numerandum, de Prab. & dignit. in 6. & ibi Barbofa n. 3.* quæ concedunt favorem, quem concedendi causæ æquè aut magis in aliis reperitur, *Strein. ad hanc Reg. n. 3.*

4. Declaratur exemplis; sic enim privilegiò celebrandi & audiendi Divina tempore interdictionis alicui indultò ejus famuli & domestici gaudent; quod merum neminique præjudiciosum Papæ beneficium sit, *Canisius hic.* Sic Asylia sacra competens Ecclesiis ad loca his conjuncta & quovis debitorum vel criminum non exceptorum reos extenditur, *l. Pateant 3. C. de His, qui ad Eccles. confug. can. Si quis in atrio 17. q. 4. c. Inter alia 6. de Immunit. Eccles.* quod Religionis intuitu sit indulta, Sic decretum Lateranensis Concilii, malam fidem à Præscriptione removens, *c. fm. de Præscript.* quod animarum salutem consulat, incorporalium etiam & immemorabilem præscriptionem afficit, *Barbofa in c. cit. n. 6.* quantumvis aliàs huic sine expressa mentione non de-

D d d d a

roge.

rogetur, Panormit. in *e. fin. de Consuetud. n. 35*. Sic concessio decimarum facta parochio, intra cuius Ecclesie fines proveniunt, etiam novialium decimas comprehendit, *c. Ex parte 27. de Decimis*; quod reducat ad Jus commune, decimas indiscriminatim parochio adstruens, *c. Cum sint 8. & c. Ad Apostolica 20. de Decimis*. Sic deum privilegium Competentiae, hujus seculi militibus indultum *l. Miles 6. pr. & l. Item Miles 18. ff. de Rejud. ad Advocatos forensi*, Gloſſa in *l. Miles cit. V. Facere*, & ad clericos caeleſti militiae adscriptos porrigitur, *c. Odoardus 3. de Solut.* quod id concedendi ratio aequè aut magis militet in istis, Euerard. *loco à Milite Armato n. 17*.

5. Excipienda hic sunt Rescripta ambicioſa, ut sunt beneficialia; hæc enim, licet Principis beneficia sint, etiam quando Jus tertio quaſitum non lædunt, regulariter strictam exposcunt interpretationem; ut, cui de beneficio provideri Papa mandat, ei vi talis rescripti provideri nequeat de pensione, *c. Quamvis 4. de Prob. & dignit. in 6. & c.*

6. Ex opposito odioſæ dispositiones sunt, quibus derogatur Juri communi, vel Juri jam quaſito tertij præjudicatur; quod Princeps Juri propter utilitatem publicam introducto & propterea favorabili derogare, *c. Ecclesia 7. de Elect. & l. Si quando 35. pr. C. de Inoffic. test.* aut alicui velle nocere non præſumatur, *c. Super eo 15. junctâ Gloſſâ V. Intentionis, de Offic. deleg. & c. Nec. auus 4. C. de Emancip. liber. quæ actus aliis validos irritant. aut poenam statuunt delictis; cum in poenalibus benignam interpretationem faciendam. Regula fit 155. §. 2. ff. & 49. in 6. quibus inducuntur inhabilitates aut adimitur facultas regulariter omnibus permissa: quæ bonis moribus adverſari, ut permissio nuptiarum cum personis conjunctis Anglis facta, *V. Quod scripsi cit. aut æquita-**

ti contrariæ esse videntur, ut est introductio inæqualitatis inter liberos, Anchoranus *Conſil. 356. Tufchus V. Interpretatio, conclus. 330. n. 8. & 35. Suarez Lib. 8. de LL. cap. 27. n. 5. Peckius ad hanc Reg. n. 2.*

7. Declaratur etiam hæc Regula pars exemplis; sic enim tanquam odioſæ strictam interpretationem exigunt Primò dispensationes v.g. in defectu natalium: uti & privilegium, clericum vel Ecclesiam eximens à jurisdictione Episcopi, vel parochianū à solutione decimarum; quod illæ relaxent Jus commune: horum utrumque præjudicat Juri Episcopi vel parochi: quorum illi clerici & Ecclesie omnes in diocesi sitæ communi jure subiciuntur, *can. omnes 17. q. 7. c. Cum venerabilis 7. & c. de Relig. domib.* isti intra parochiæ suæ fines provenientes decimæ attribuuntur *c. Cum sint c. Ad Apostolica cit.* Secundò, canone, censuræ subiciente clericos, non afficiuntur Episcopi, *c. Quia periculosum 4. de Sent. e xcom. in 6. & Regulares, Panormit. in c. Bona 3. de Postulat. Pralat. n. 2. & Sylvester V. Interdictum 2. n. 17.* Tertio decretum Tridentini, conjugia clandestina irritantis, *Sess. 24. cap. 1. V. Qui aliter, de Ref. matrim.* locum non habet in clandestinis sponſalibus; quod illud, tanquam irritans & inhabilitatem inducens, stricta sit interpretationis. Quartò, statutum aliquibus adimens aut restringens liberam testandi facultatem aut inhabilem reddens ad successionem in bona paternæ; quod inducat inhabilitatem, & facultatem, regulariter permissam, restringat, Peckius *hæc Reg. n. 1.* Quintò permissio nuptiarum inter consanguineos & affines, Anglis quondam facta, *V. Quod scripsi cit.* & introductio inæqualitatis inter liberos, odioſæ strictæque interpretationis sunt; quod illa bonis moribus, ista æquitati adverſetur, Gloſſa in *V. cit & Strein, hic n. 2.*

Excipi-

8. Excipiuntur tamen Imprimis dispositiones, quæ, si non extenderentur, vi & effectu facile destituerentur, *c. In iis 30. de Privileg.* ex qua causa testamenti factio- nis ademptio ad codicillos, *c. Quamquam 2. de Usuris in 6.* & interdictum civitatis ad suburbia extenditur, *c. Si civitas 17. de Sent. excom. in 6.* Secundò dispositio munita clausulâ, extensionem ad similia per- mittere: & cui in similibus, licet non expressis casibus, locum esse, constitutio- nis aliquâ est declaratum: sicut infamia pro- ditoris patriæ vel Principis, & in habitatis hæreticorum ad beneficia & officia publi- ca ad illorum filios Jure extensa est, *l. Quis- que 5. 1. C. ad L. Jul. Majest. c. Quicum- que 2. §. Hæretici & c. Statutum 11. de Hæretic. in 6.* Tertio, si non factâ ex- tensione dispositionis sequeretur iniqui- tas aut absurdum: qua de re latè Palao *Tract. 3. disp. 5. p. 3. §. 4. à n. 8.* ex qua causa infamiâ, mulieribus intra annum lucidus nubentibus, Jure Civili irrogatâ, *1. pr. C. de Secund. Nupt.* etiam intra tem- pus illud turpiter viventes notantur, *Auth. eadem Rubr. cit.* cui hodie quoq; locus est; quia *c. Quod super 4. & c. fin. Rubr. cit. text. de nubentibus;* non de turpiter viventibus loquuntur. Demum lex principaliter lata favore Reipublicæ, Glossâ in *c. Sciant est. V. Alios,* Religionis, aut salutis animarum: ex qua causa constitutione correctoriâ, malam fidem à Præscriptione excludente, immemoriam affici, dictum est *Lib. 2. tit. 28 n. 33.*

9. Hactenus dictis duo addenda sunt. Primum est, cum dispositio duas partes separatas habet; quod *vg.* duo invicem separata habeat objecta, eam quoad unam partem, tanquam favorabilem, admittere extensionem: quoad alteram verò, tan- quam odiosam, restrictionem exigere posse, Peckius *ad hanc Reg. n. 9.*

10. Alterum, cum spectatis omnibus

dispositionis qualitas ambigua manet, eam pro favorabili potius, quam odiosa haben- dam; quòd à Principe beneficium potius & favor, quam odium sit præsumendum, Baldus in *l. Si quis 29. C. de Patris ad finem & cit. Suarez Lib. 5. de LL. cap. 2. n. 13.*

REGVLÆ XVI.

Decet concessum à Principe Be- neficium esse mansurum.

SUMMARIUM.

1. Beneficij nomine etiam privilegium venit.
2. Regula sensus & ratio.
3. Principis concessionem revocare eti- am successor nequit.
4. Nisi justa causa subsit.

P Rincipis beneficium in specie id so- lum, quod is liberali voluntate de suo vel secundum aut præter Jus commune: in genere autem & hâc Regulâ illud etiam dicitur, quod contra Jus concedit; ut proinde eò nomine hic etiam privilegium, contra Jus concessum, intelligatur, Peckius *hic n. 4. Strein. n. 1. & Nidus n. 4. Quare*

Propositæ Regulæ sensus est, *Privi- legium & aliæ concessionem gratiosæ, sine termini seu determinatione temporis à Principe facta, perpetua sunt; ut, si privi- legium *vg.* Personale, ad privilegiati vi- tam: si Reale sit, ultra eam extendatur & stabiliter perseveret: & absque justa eâque gravi causa nequeat auferrî: pro- ut etiam desumitur ex *c. Si cui 36. de Preb. & dignit. in 6.* Unde vel maximè Principi convenit illud Pfaltis Regii, *Semel locutus est Deus, Psalm. 61. v. 12. & Pila- ti, Quod scripsi, scripsi, Joan. cap. 19. v. 22.**

D d d d ; cum ha-

cum habere debeat calamum unum & unam linguam, atque esse immobilis instar lapidis angularis ac Poli in caelo, Baldus *Lib. 1. Consil. 326.* & Gaill, *Pract. Lib. 2. observat. 55. n. 3.* Rationem Canonicus reddit; quod Princeps ex suo consensu non minus obligetur quam privatus; propter Aequitatem & rationem naturalem, distantem ea, quae semel placuerunt, servanda, *l. 1. pr. ff. de Pactis*: Principem autem Aequitati & rationi naturali esse subiectum, nemo est, qui in dubium vocet.

3. Neque privilegia etiam Realia ultra concedentis vitam non porrigi, persuader; quod, cum resolutio jure dantis jus quoque accipientis resolvatur, *arg. e. Nuper 6. de Donat. inter vir. & ux. & l. Vedigali 31. ff. de Pignoribus*, sicut caetera, sic etiam, privilegia & beneficia quaevis à Principe accepta expirare, aut saltem à successore ad libitum revocabilia esse, sit necesse; cum istius potestas lege constringi non potuerit ab antecessore, tanquam pari: qui in parem imperium non habet, *e. Innotuit 20. de Elect. & l. Nam magistratus 4. ff. de recept. arbitr.* quia, licet morte Principis ejus potestas resolvatur & ad successorem transeat quoad futura, non tamen ad hunc transit quoad ea, quae ab antecessore meritorum aliòve simili intuitu alicujus personae vel dignitati cum dominio vel juris translatione sunt concessa; talia enim, neque dum viveret, ab antecessore, neque isto defuncto, à successore sine justa & gravi causa auferri, saltem honestè ac licitè posse, ex communi aliorum sententia defendunt Suarez *Lib. 8. de LL. cap. 37. n. 7.* Sanchez *Lib. 8. de Matrim. disp. 33. n. 2.* & Molina *de Primogen. Lib. 4. cap. 3. n. 21.* quod aliàs absque justa causa rebus ac juribus suis quis privari à Principe pro libitu posset, contra deducta *Lib. 1. tit. 2. à n. 53.*

4. Justa autem causa privilegii sub-

dito indultum revocandi Imprimis sunt quaecunque ad revocandam ob ingratitude inter vivos donationem sufficiunt, & *l. fin. C. de Revoc. an. donat. & c. fin. de Donat.* referuntur. Deinde privilegii abusus; cum privilegium mereatur amittere, qui concessa sibi abutitur facultate, ut communi usu trita & supra *Tit. 33. à n. 55.* explicata Regula habet. Demum, si rerum statu & circumstantiis cum tempore mutatis cesset concessionis causa finalis aut privilegium esse incipiat publicè damnosum, vel praedjudiciosum Principis dignitati, ut idem revocari publicè interfit, *cir. Suarez cap. 37. n. 5.* & Palao *Tract. 3. disp. 4. p. 21. §. 1. n. 4.*

REGULA XVII.

Indultum à Jure Beneficium non est alicui auferendum.

SUMMARIUM.

1. *Juris beneficium à lege vel canone est.*
2. *Regula de eo sensus & ratio.*
3. *Beneficium Juris aliquando auferit Princeps,*
4. *Vel statuto aut consuetudine tollitur.*

Affinis praecedenti, diversa tamen ab ea haec Regula est; cum, licet de privilegio aliòve Principis beneficio utraque: illa tamen de eo per specialem, ista per generalem Constitutionem sive legem aut canonem indultò procedat.

Sensus istius est, *A Jure, sive lege vel canone, alicui competens beneficium, sive aliquid agendi vel omittendi facultas, ei auferri vel, quò minus eò utatur, impediri non debet: prout etiam desumitur ex c. fin. de Secund. Nupt. & c. Commissa 35. de Elect.*

de Elect. in 6. quorum textuum priori femina post viri obitum ad secunda vota transeundi ab Apostolo stabilita facultas ei adimi: posteriori promoti ad Ecclesiam Parochialem & Sacerdotiò nondum initiato, annus ad eum Ordinem recipiendum à Jure indultus abbreviari & Ecclesia ante ejus lapsum illi auferri prohibetur. Simili modò in integrum restitutionis petendæ remedium Minori & Ecclesiæ lætis, reo dilatorias & peremptorias exceptiones opponendi, per sententiam gravato appellandi facultas à Jure indulta, à judice pro libitu auferri nequeunt vel coarctari.

Ratio Regulæ est partim; quòd, cum, hujusmodi facultates beneficia sint Juris communis, quòd naturà suà stabile perpetuumque est, cuius & stabiliter debeant prodesse: partim verò; quòd, cum judex Juris, non conditor, sed minister duntaxat & executor sit, *can. In istis 3. dist. 4.* ab ejus præscripto pro libitu recedendi careat facultate, *arg. c. 1. de Sent. & re jud. l. fin. C. Si contra jus & util. & l. Nemo 3. C. de Sent. & interlocut.*

3. Notabile tamen hæc in re inter iudices est discrimen; cum, si judex supremus seu Princeps sit, humanò à se & antecessoribus suis conditò Jure indulta privilegia aliàque beneficia non solum in particulari aliquo casu per viam dispensationis minuere, eis dorogandò: sed revocare, vel lege contraria ex justa publicæ necessitatis vel utilitatis causa licitè, & nullà ejusmodi causà poscente vel suadente, saltem validè abrogare valeat; quòd humanæ leges ab ejus pendeant voluntate, *l. Princeps 3. l. ff. de LL. & Novell. 105. cap. 2.* sub cuius finem leges à Deo ipsi subjectæ asseruntur. Si verò judex inferior sit, secundùm Jus & istò indulta privilegia pronuntiandi necessitate constringatur, *pr. Iustit. de Offic. jud. præterquam*

in casibus, quibus à præscripto aliquo Juris recessus ipsi ab ipso Jure est permittus: sicut Jure indultum appellationis privilegium per veram contumaciam abstantibus, *l. 1. C. Quorum appellat. non recip. per tres conformes sententias condemnatis, c. Sua 65. de Appell. & l. Unica C. No liceat in una &c. & quibusdam aliis Jure est denegatum.*

Quæ Regulæ opponuntur, levia ferèque talia sunt beneficia Juris, quæ certis casibus à Jure adimuntur: sicut usus fructus in bonis adventitiis filii familias patri concessus, *l. Cum oportet 6. C. de Bonis, qua liber.* in bonis eà conditione, ne usum fructum in ipsis pater haberet, relictis denegatur, *Aurb. Excipitur C. eadem Rubr.* & casu, quò mulier judici, inspectionem & custodiam jubenti, non obtemperat, nondum nata proles in paternorum bonorum possessionem non mittitur: quantumvis aliàs ventri & proli nondum natæ ejusmodi missionis beneficium, & ab intestato venientium exclusio Jure sint indulta, *l. 1. ff. de Ventre in possess. mit.*

Sicut Juris beneficia generaliter indulta certis casibus denegari ab ipso Jure, sicut etiam contrarià consuetudine, *c. fin. de Consuetud. &* si Jure Civili prodita sint, statutò quoque municipali vel provinciali tolli possunt, ex generali doctrina tradita *Lib. 1. tit. 2. à n. 33.*

REGVLA XVIII.

*Non firmatur tractu temporis,
quod de Jure ab initio non subsistit.*

SUMMARIUM.

1. *Sensu & ratio Regule:*
2. *Quæ in ultimis voluntatibus & contractibus,*

3. *In*

3. In rescriptis, sententiis &c. procedit.
4. Variis instantiis impugnatur:
5. Sed declaratur potius, quam convellatur.

1. **G**emina huic est Regula 29. Civilis, Quod ab initio vitiosum est, non potest tractu temporis convalescere.

Sensus utriusque communi calculo approbatus est, Actus, qui ab initio, cum gereretur, invalidus nullusque fuit, solo tractu seu lapsu temporis, nulloque alio adminiculo accedente, non convalescit; ut actus ab initio valide gestus vim ac firmitatem consequatur. Ratio est; quia tempus non est modus inducenda vel tollenda obligationis, l. Obligationum 44. §. 1. ff. de O. & A. ac proinde nec modus reparandi & validum reddendi actum, qui nulliter est gestus: nisi inter, alio adminiculo superveniente, adjuvetur.

2. Sic accepta utriusque Juris Regula late patens usus, etque locus est in ultimis voluntatibus; sic enim testamentum & legatum, quod propter defectum personae testantis ab eadem instituti haereditis aut legatarii; quod illa testamenti factionis, ista institutionis ac legati Jure capaces non sint, invalidum, non convalescit, quantumvis personarum defectus cum tempore cesset, l. Ejus §. pr. l. Filius 19. ff. Qui testam. fac. poss. §. An servo 32. Instit. de Legat. In contractibus; nam sponsalia cum septennio minore, in quo aetatis defectum prudentia non supplet, invalide inita, legitimam aetate superveniente, non convalescunt; nisi novum consensu, verbis, scripto, aut facto expresso, ratificentur, c. Unic. pr. de Dispensat. impub. in 6. In beneficiis ac rescriptis; nam collatio facta clerico, non habenti legitimam aetatem, ista cum tempore impletam, non confirmatur, c. Si eo tempore

9. de Rescript. in 6. In judiciis; cum sententia, ipso Jure nulla, rei iudicatae vim & auctoritatem non consequatur: quantumvis ea gravatus appellationis fatalia labi sit passus, l. Expressim 19. ff. de Appellat. &c.

Non pauca tamen instantiae Regulae opponuntur; nam primò, si minor curatorem habens sine eo contrahat, contractus ipso Jure nullus est adeò; ut ei in integrum restitutionis auxilium non sit opus, l. Si curatorem 3. C. de In integr. restit. & tamen, si ille factus major per quinquennium questus non sit, perinde ut, si ab initio cum omni solennitate gestus fuisset, subsistit, l. fin. C. Si major. fact. alienat. Secundò, simili modo professio Religiosa Jure invalida quinquennii lapsu confirmatur; ut contra eam postea reclamans non audiat, ex decreto S. Synodi Trident. Sess. 25. cap. 19. de Regular. Tertio, rei alienae venditio, in domini praedictum invalida, lapsu 30. annorum sic firmatur; ut rem venditam ab emptore repetere etque auferre non possit, l. Si quis §. §. 1. junctâ Glossâ; V. Tennerit, C. de Praescript. 30. vel 40. annor. Quarto, electio facta contra canones, v.g. non servata forma c. Quia propter 42. de Elect. ipso Jure irrita est c. cit. pr. & tamen vim habet, sequentem novam electionem impediendi, c. Auditis 29. junctâ Glossâ fin. de Elect. Quintò, collatio beneficii patronati sine patroni praesentatione vel consensu facta nulla est, can. Decernimus 16. q. 6. & tamen, si patronus intra tempus ad praesentandum a Jure sibi concessum non reclamet, convalescit ac sustinetur.

Sed haec ipsae similes instantiae Regulae declarandae ansam potius praebent, quam eam convellant. Prima & secunda; quia contractus minoris non convalescit ex solo tractu temporis, sed ex tacito consensu ipsius minoris, qui contractum autè initum ratum habuisse, vel querelae

aut a-

aut actioni sibi competenti renuntiâsse, ex ipsa quinquennali taciturnitate præsumitur: ex qua taciturnitate etiam Professionem ratificatam præsumi, *Lib. 3. tit. 31. n. 92.* est dictum.

Tertia; quia translatio domini rei venditæ in emptorem non habetur ex solo lapsu temporis: sed partim ex negligentia, *c. Vigilanti 5. de Prescript.* imò tacito consensu domini, qui rem suam tricennio non repetendò in ejus alienationem & domini translationem consentire aliquibus videtur; *Vix enim est, ut non alienare videatur, qui rem suam patitur usurari,* sententia est Pauli JCT. *l. Alienationis 28. ff. de V. S.* partim ex bona fide & continuatione possessionis venditæ rei alienæ: & beneficiò atque autoritate legis, rei tricenniò ita possessæ dominium transferentis in bonæ fidei possessorem, per tradita *Lib. 2. tit. 26. n. 6.*

Quarta; cum; quia *c. Auditis cit.* præfens Regula in terminis approbatur: tum verò; quia eò relata posterior electio irrita fuit, non propter primam ipsò Jure nullam: sed; quòd à Capituli parte minori & appellatione pendente fuerit celebrata, *Glossa in c. cit. V. Maxime ubi Panormit. n. 8. & Pirrhing ad Rubr. de Elect. n. 191.*

Postrema; quia ea collatio Episcopi non convalescit ex solo tractu temporis: sed ex negligentia patroni intra tempus à Jure indultum ad beneficium neminem præsentantis; hoc enim si negligenter omittat, præsentandi jure pro ea vice privatur, ejusque negligentia collatio nulliter facta roboratur; ne diutina beneficii vacatio Ecclesiæ damnosa & animabus sit periculosa, *Peckius hanc Reg. n. 4. & Strein. n. 3.*

☉ (O) ☉

REGVLA XIX.

Non est sine Culpa, qui rei, qua ad eum non pertinet, se immiscet.

SUMMARIUM.

1. Non pertinere ad aliquem quid dicitur.
2. Sensus vario Regule.
3. In se immiscente supponentis culpam.
4. Extra quam est gestor negotij alieni.
5. Et huic se immiscens casu exigentis necessitatis.

Sicut ad aliquem res pertinet vel ratione domini aut juris, quod in ea habet, v.g. eam detinendi: vel ratione ejus ulùs ipsi competentis, vel cum aliis communis: vel ratione officij, administrationis, curationis, statûs &c. sic ad eum non pertinere; ac proinde rei vel negotio ad se non pertinenti se immiscere dicitur is, qui rem alienam invadit, vel possessionem vacantem occupat propriâ autoritate; cum omnes scire debeant, hoc, quod suum non est, ad alium modis omnibus pertinere, *l. fin. C. Unde Vi:* qui invitò & prohibente dominò ejus negotium administrat: nisi sumptum faciat; ut eum ab interitu vel miseria servet, *l. Non tantum 6. ff. de Appell. & relas. C. can. Ipsa 27. q. 4.* qui in alterius officium vel jurisdictionem se ingerit: qui proficitur Scientiam v.g. Juris, vel artem v.g. Medicam, Pharmaceuticam, Chirurgicam, quam non callet &c.

Regula præfenti consonat illa, *Culpa est, se immiscere rei, ad se non pertinenti, quæ est 36. in Pandectis.*

Sensus utriusque est, *Se immiscens rei alienæ, in qua nihil juris habet, vel*
E c c e negotio

negotio sibi prohibito, vel ratione status aut imperitia non convenienti, culpa non vacat; ne propterea non solum ad illius omnium damni reparationem & rescarcitionem injuria teneatur ac valeat conveniri: sed ad penam quoque publicam, pro facti & circumstantiarum qualitate insigendam, erabi possit: & si ad negotium vel munus gerendum idoneus non sit, ab eo debeat removeri. Ratio est; quia rei sive negotio ad se nullò modò pertinenti, aut sibi ratione status vel imperitiæ non convenienti, vel rei dominò prohibente se immiscens illicite agit, c. *Tua 19. de Homicidio* & l. *fin. ff. de Extraord. cognit.* qui autem illicite agit, in culpa est, arg. l. *Idem Juris* §. *ff. ad L. Aquil. c. Tua cit. & c. Sententiam 9. Ne cler. vel monach.*

3. Neque huic Regulæ adversatur Responsum Ulpiani, agri mensorem, in arte sua imperitè versantem, de culpa teneri, inficiantis, l. *1. ff. Si mensor. fals. mod. dix.* quia hac lege JCT. non inficiatur eum esse in culpa: sed solummodò non teneri de levi; quòd operam suam ex beneficio præbeat: & quòd ei exhibetur, non tam mercis quam honorarium reputetur. Ne tamen, si per imperitiam quid fecit, inde damnum patiatur, qui eum adhibendò est deceptus, agri mensor saltem teneretur in subsidium ejus, qui ex falsa mensuratione lucrum caput & non est solvendo, l. *Si duobus 3. §. 3. ff. eadem Rubr.*

4. Neque cum eadem pugnat; quòd officium suum nemini debeat esse damnosum, c. *Cùm non deceat 20. pr. de Elect. in 6. & l. Sed si quis 7. ff. Quemadmod. testam. aper.* & propterea aliena negotia gerentibus negotiorum gestorum actionem lex tribuat, l. *Si quis absentis 2. ff. de Negot. gest.* partim; quia, quòd ex sua culpa quis sentit damnum, sentire Juris consideratione non intelligitur, l. *Quòd quis ex cul-*

pa 203. ff. de R. J. quòd ejus causa ipse sit, & à semet inflictum damnum patiatur: partim verò; quia absentis negotiò sine mandato, sed in ipsius utilitatem rectè gerens in culpa non est; cùm enim hominis interfit, affici hominem beneficio, l. *Servus 7. in fine ff. de Servis export.* absentis non mandantis officium rectè gerens se immiscet rei, ad se aliquò modò pertinenti; non quidem quoad lucrum & damnum, sed quoad officium humanitatis. Ut proinde ipsi ad repetendos sumptus in negotium factos actio non immeritò detur. Item, in quantum illud gessit utiliter, l. *Sed an ulro 10. ff. & domino non prohibente, l. fin. C. de Negot. gest.*

Excipiendus à Regula est casus necessitatis; quando enim hæc urget, actum à culpa eximit succurrendi obligatio naturalis. Unde clericus in Sacris & Monachus Chirurgiam per incisionem & adustionem, deficientibus aliis ejus artis peritis, exercens irregularitatem non contrahit: quantumvis ex ejusmodi actione mors aut mutilatio sequatur, Covarruvias in *Clement. Si furiosus p. 2. §. 4. n. 9.* Laiman *Lib. 3. tract. 3. p. 3. cap. 10. n. 3.* & Palao *Tract. 29. disp. 6. p. 15. §. 4. n. 8.*

REGULA XX.

Nullus uti pluribus Defensionibus prohibetur.

SUMMARIUM.

1. Consona huic est Regula Civilis.
2. Sensus & ratio utriusque.
3. Reus contrariis exceptionibus uti potest.
4. Dummodo eas non asserat absolutè veras.
5. Difficultates Regula objectæ,

6. Eam

6. *Eam firmant & declarant.*

7. *Plures defensiones aliquando lex non permittit.*

1. **S**imilis huic est Regula 43. in Pandectis, cujus principium est, *Nemo ex his, qui negant se debere, prohibetur etiam aliâ defensione uti: nisi lex impediât.*

2. Sensus utriusque est, *Quantumvis pluribus actionibus, ejusdem rei nomine concurrentibus, unâ quis debeat experiri, Reg. Nemo cit. §. 1. nihilominus, cum alicui lis moveretur super alicujus rei dominio vel jure, pro ipsius conservatione plures titulos, v.g. donationem, transactionem, privilegium, præscriptionem &c. allegare, itaque pluribus defensionibus uti, seque tueri potest: non quidem; ut ex omnibus id ipsi competere judicetur: sed; ut, si non sufficiat unus, altero vincat & dominium jusve suum integrum conserveat.* Ratio hac in re, quod actori denegatur, reo permittendi est; quia ad sui defensionem comparata excipiendi facultas quodammodo competit Jure Naturali, l. *Ut vim 3. ff. de J. & J.* ut proinde hoc etiam Jure rei favorabiliores, quam actores, nec immerito sint; cum ad judicium actor spontè provocet, & benè paratus accedat: reus verò inopinè & imparatus trahatur; ut pronum sit, multa, quæ pro ipso faciunt præteriri & quandoque allegari, quæ non profunt vel nequeunt probari. Ut adeo miserrima ejus conditio foret, si unâ tantum exceptione ad defensionem suam uti permitteretur contra genus Naturæ, quæ irruentem hostem quovis telò & quovis modò repellendum docet, Alciatus in l. *Qui accusare 4. C. de Edendo n. 15.*

3. Neque diversis duntaxat, sed contrariis quoque exceptionibus se tueri reus, tam in criminalibus quam civilibus

causis potest; cum, ut *Lib. 2. tit. 25. an. 29.* dictum est, de homicidio accusatus, postquam crimen illud à se perpetratum negavit, de eo convictus rursus excipiendo allegare valeat, occisum fuisse aggressorem & inculpata tutelæ moderamen observatum: & mulieri, virum tanquam conjugem suum perenti, iste excipiendi adulterium: &, si in istius probatione deficiat, consanguinitatem & ex ista provenientem conjugii nullitatem opponere valeat. Sic etiam parochianus à parochio suo super decimis, & Ecclesia vel Monasterium super subjectione ab Episcopo conventa exemptionis privilegio, & hoc refutato rei judicata exceptione se tueri possunt, Dynus *hic n. 6.* & Perez in *C. de Except. n. 28.*

Hoc tamen, de contrariis exceptionibus reo permittis, sic accipiendum est; ut, cum reus iis vult uti, Imprimis non asserat, eas veras absolute; cum hoc rerum Naturæ repugnet: sed conditionatè vel alternativè, v.g. Ecclesiam privilegio exemptionis vel subjectionis præscriptum: hominem non occisum, vel id necessariæ corporis tutelæ causâ factum, Covarruvias *Lib. 1. Var. cap. 5. n. 3.* & Menoch. *Lib. 2. præsumpt. 42. n. 1.* Deinde; ut ad contrariarum exceptionum probationem non admittatur simul, sed successivè atque ita; ut, si una probata non fuerit, tum demum convolet ad alterius probationem, Zælius in *Reg. Nemo cit. circa finem* & Peckius *hac Reg. n. 7.*

Huic tamen contrariarum exceptionum allegationi, etiam sic temperatè opponi solet Imprimis Regulare dogma, *Contraria allegans non est audiendus, l. 1. ff. de Furtis & c. Imputari 13. de Fide Instrument.* quò locò contraria instrumenta producens, repulsus est. Neque id injuriâ; cum enim non permittatur contrariarum probatio, eorum etiam, tanquam

Et c. 2

inanis & cassa, allegatio non erit permit-
tenda. Dein decisio Innocentii III. ex-
ceptionem præscriptionis, post ante reje-
ctum privilegium, non admittentis, *c.*
Veniens 19. de Præscript. Demum pari-
tas cum appellatione, in qua, licet species
defensionis etiam ipsa sit, contrariorum
allegatio non sustinetur, *arg. l. Si procu-
ratorio 2. §. 1. ff. Quando appellat.*

6. Sed ista, sicut primò occurru ma-
gnam veri speciem habent, sic penitiùs in-
specta viribus vacua sunt. Primum par-
tim; quia dogma illud proditum est de a-
ctore, *l. 1. C. de Furtis*: non de reo, in judi-
cium pertracto & certante de vitando
damno: & hoc, quibus potest modis, per-
misso propulsare, *l. Ut vim cit.* partim ve-
rò; quia, sicut ad contrariorum exceptio-
num utramque probandam, sic nec ad
eas quasi absolutè & simul veras allegan-
das reus admittitur: sed solummodo ut
veras alternativè; ut reus, in unius proba-
tione deficiens vel de ejus falsitate convic-
tus, tum demum & re adhuc integrà al-
teram probet. Unde in contrarium non
facit *c. Imputari cit.* quia in ejus casu
contraria instrumenta producens ideo re-
pulsus est; quòd utrumque, ac proinde
directè contrarias assertiones, absolutè &
simul veras ipsà eorum productione fate-
ri videretur, ut dictum *Lib. 2. tit. 22.*
num. 87.

Alterù, cùm; quia *c. Veniens cit.* præscri-
ptionem post privilegium allegavit actor,
scilicet Abbas, qui Episcopum super in-
quietatione ac perceptione decimarum
convenerat: & ne ab earum perceptione
inposterum impediretur, postulavit: tum
verò; quia eò relata præscriptio non fuit
bonæ fidei, vel allegata est, postquam ei
fuit renuntiatum, ut habet textus & cum
Glossa *V. Interim* notant Innocentius *n. s.*
& Panormit. *n. s.*

Postremum; quia appellans in secun-

da instantia revera sustinet partes & onus
actoris: & ratio, ob quam unà tantum
actione experiri licet in prima, etiam mi-
litat in instantia secunda.

In hac tamen Juris Canonici Regula
subaudienda est clausula, *Nisi lex impe-
diat*, expressa in Civili: & excipiendi
casus, quibus de noxa fervi, de pauperie
quadrupedis, de debito, vel pignore, de
rei possessione &c. conventus servum,
quadrupedem vel chirographum seu scri-
pturam, quâ debitum expressum est, su-
um: aut pignus debitoris, sèque rei,
quam vindicare vult, possessorem esse ne-
gat; talis enim, si mendacii convictus
aliâ exceptione uti velit, non audietur, per
expressos textus *l. Quotiens 21. §. fin. ff.*
de Noxal. act. l. 1. §. 15. ff. Si quadrup.
paup. sec. Auth. contra C. de Non numer.
pec. Auth. Item possessor C. Qui potior. in
pign. l. fin. ff. de R. V. &c.

REGVLA XXI.

*Quod semel placuit, amplius di-
splicere non potest.*

SUMMARIUM.

1. *Instabile est consilium humanum.*
2. *Sensus & ratio Regule:*
3. *Quæ locum habet in contractibus:*
4. *In juramentis, votis ac judiciis,*
5. *In provisionibus beneficiorum & ces-
sionibus &c.*
6. *Consilium mutari potest consensu par-
tis utriusque;*
7. *Et non raro voluntate unius.*
8. *A Regula exceptiones.*

TAm varium & mutabile hominis
consilium est; ut, si Regule istius
verborum cortici inhareamus,
Regula vanitatis redarguenda: &
contraria

contraria sententia Regularis videri possit. At non ita, si illius penetretur vis & intentio statuentis; huic enim congruens & minimè vanus

2. Præsentis Regulæ sensus est, *Quod alicui liberæ voluntatis consensu semel ita placuit; ut inde jus questum sit alteri, hoc irritò displicere & cum iura ei questis lesione liberè revocari amplius non potest.* Consonat huic altera utriusque Juris Regula, *Mutare quis consilium non potest in alterius injuriam vel detrimentum*: quæ est 7 §. ff. & 33 in 6. Ratio est; quia nihil tam congruum humanæ fidei, quàm servare ea, quæ inter aliquos placuerunt l. 1. pr. ff. de Pactis; inconstantia verò & mutabilitas animi, præsertim aliis præjudiciosa, summè detestanda est.

3. Sic intellectæ Regulæ multus & latè patens usus est In Matrimonio carnali consumato, propter ejus insolubilitatem, Marth. cap. 19. v. 6. & spirituali sive Professione Religiosa; quòd statum perpetuum etiam ipsa inducat, S. Thomas 22. q. 18. art. 6. In contractibus & conventionibus ceteris; quia, *Sicut ab initio libera potestas unicuique habendi vel non habendi contractus, sic renuntiare semel constituta obligationi, adversario non consentiente, non potest*, tenor est l. Sicut §. C. de O. & A. In juramentis, c. *Cum contingat* 28. de *Jurejurando*, c. *Quamvis* 2. de *Factis* in 6. In votis, Deuteron. cap. 23. v. 21. cum etiam ipsa contractuum instar ab initio quidem voluntatis, ex post facto tamen, sive liberè semel edita, necessitatis sint, c. *Licet* 6. de *Voto*, In judiciis, in quibus nec actori post contestatam litem ab instituta actione, reò invitò, recedere, l. *Pure* 6. §. *fin. ff. de Doli except.* nec reo judicem tanquam incompetentem vel suspectum, in quem, litem coram eo contestandò, consensisse intelligitur, recusare l. *Nemo* 4. C. de *Jurisdic.* nisi ex nova

4. de O. & A. In juramentis, c. *Cum contingat* 28. de *Jurejurando*, c. *Quamvis* 2. de *Factis* in 6. In votis, Deuteron. cap. 23. v. 21. cum etiam ipsa contractuum instar ab initio quidem voluntatis, ex post facto tamen, sive liberè semel edita, necessitatis sint, c. *Licet* 6. de *Voto*, In judiciis, in quibus nec actori post contestatam litem ab instituta actione, reò invitò, recedere, l. *Pure* 6. §. *fin. ff. de Doli except.* nec reo judicem tanquam incompetentem vel suspectum, in quem, litem coram eo contestandò, consensisse intelligitur, recusare l. *Nemo* 4. C. de *Jurisdic.* nisi ex nova

& ante non cognita causa, c. *Pastoralis* 4. de *Except.* nec judici sententiam, quam definitivè pronuntiandò semel dixit, revocare licet, l. *Judex* 55. ff. de *Re judic.* In electionibus Prælatorum, c. *Vnic. de Postul. Prælat.* & optionibus aliis, l. *Servi* 5. pr. ff. de *Acquir. hered.* l. 1. §. 6. ff. de *Legat.* 1. §. 1. *Apud Ausidium* 20. ff. de *Opt. legat.* In collationibus & resignationibus beneficiorum Ecclesiasticorum: quæ nec uni semel collata auferri & conferri alteri, c. *Sitibi absenti* 17. de *Præb. & dignit.* in 6. neque per cessionem sive resignationem semel liberè dimissa repeti aut recuperari valent, can. *Quàm periculosum* 7. q. 1. c. *Transmissa* 3. Sc. de *Renuntiat.* sine nova collatione, *Inter* 2. eadem *Kubr.* In actionum suarum remissionibus; nam & ad eas regressus denegatur, l. *Quartur* 14. §. 9. ff. de *Edict. l. i. Edict.* In renuntiationibus aliis, §. 9. cit. l. 1. §. 6. ff. de *Success. Edict.* l. *Postquam* 4. C. de *Pactis* Sc.

Non pauca tamen sunt ab hac Regula exceptiones; recessus enim ab eo, quod semel placuit, Jure permissus est, quando is sit utriusque partis mutuò consensu, præterquam à conjugio & statu Religioso: quorum illud consummatum ullà humanà potestate: iste professi & Prælati ordinarij mutuò consensu solvi non potest: nisi causâ transitus ad aliam Religionem, c. *Licet* 18. *Regular.* Vnius etiam consensu recessus permissus est à sponsalibus impuberum & matrimonio solum rato; cum ab illis pubertatem adeptus liberè resilire, Sc. *De illis* 7. c. *Nobis* 8. de *Despons. impub.* & ante istius consummationem Jure permissus sit ingressus Religionis, c. *Verim* 2. Sc. *Ex publico* 7. de *Convers. conjug.* In contractibus innominatis, in quibus ante impletionem poenitentia est locus, l. *Si pecuniam* 5 ff. de *Condit. causa data* Sc. In deposito, l. 1.

Eccc 3

to, l. 1.

to, l. 1. §. 2. ff. *Depositum*, imo & in mandato ac societate; nam & in his, quavis nominati contractus sint, re adhuc integra sive, antequam alterius interesse caperit, poenitentia admittitur, §. *Mandatum* 11. *Instit. de Mandato* & §. *Manet* 4. *Instit. de Societ.* In ultimis voluntatibus; quia hæ ambulatoriæ sunt usque ad supremum vitæ exitum, l. *Quod si* 4. ff. *de Adim. & transfer. leg.* usque adeo; ut testator, ne à priori voluntate recedere valeat, se lege constringere ipse non possit, l. *Si quis* 22. pr. ff. *de Legat.* 3. Quin, licet ad hæreditatem semel repudiatam regressus non detur, hæredi tamen suo, qui ab hæreditate paterna abstinuit, ad eam reditus intra triennium permittitur: dummodo res hæreditariæ non fuerint alienatæ, l. *in. C. de Repud. hæredit.* In sententia interlocutoria, quam is, qui tulit, revocare valet, c. *Cum cessante* 60. *de Appellat.* & l. *Quod iussit* 14. ff. *de Re iudic.* quod interloquendò officio suo nondum sit perfunctus, sed in eodem negotio iudex esse perseveret. In appellatione, à qua semel interposita recedere appellanti vetitum non est, l. *Si quis libellos* 28. C. *de Appellat.* In aliis casibus non paucis, in quibus ab eo, quod semel placuit, recessus iure conceditur, præsertim ex nova causa superveniente vel de novo ad notitiam perveniente; cum, quæ de novo emergunt, novo indigeant auxilio, c. *Pastoralis* cit. & l. *De atate* 11. §. 8. ff. *de Interrogat. fac.*

Quæ contra præsentem Regulam adducuntur, fere exempla sunt actuum nondum ita perfectorum; ut ex ipsis alteri jus sit quaesitum: vel sunt casus, proximè relatorum instar, excepti à iure, poenitentiam, recessumque ab eo, quod semel placuit, ex iusta causa specialiter permitte.

REGULA XXII.

Non debet aliquis alterius Odio prægravari.

SUMMARIUM.

1. Odii nomen denotat damnum & pœnam.
2. Sensus & ratio Regule.
3. Quam varia instantia ex Divino,
4. Et humano iure de prompta diffidit reddunt.
5. Declarantur instantia ex Divino;
6. Ex humano Ecclesiastico,
7. Et imperiali iure petita.
8. Subintelligenda est clausula, Nisi causa subdit.

Odii nomine hic aliqui damnum: I. alii pœnam, & rursum alii, nec malè exaudiunt utrumque; eoque prægravari intelligunt illam, cui vel aufertur aliquod bonum, vel malum infertur. Vnde Regule sensus est, *Ob alterius ma-* 2. *Id quidpiam gerentis vel delinquentis factum, alius qui ejus nec socius nec particeps est, pœnam, damnum, aliudve incommodum sentire non debet; Factum enim cuique suum, non alienum, nocere debet, Regula est 155. in Pandectis adeo, ut neque filius patris, neque filii iniquitatem patris portet, Ezechiel. .cap. 18. v. 20. neque uxor teneatur pro marito, l. Ob maritorum 2. & l. Cum te 3. C. Ne uxor pro mariti. neque delictum personæ in Ecclesiæ vel Monasterii damnum redundet, Reg. 76. in 6. sed Peccata suos teneant auctores: nec ulterius progredatur metus, quam reperitur delictum, ut Regiè omnino Arcad. & Honorius; Impp. constituerunt l. Sancimus 22. C. de Penis. Ratio Regule est; quia*

est; quia Justitiæ est, jus suum cuique tribuere, aduersus vim atque injuriam tueri innocentes, pœnis cœercere nocentes, & præstantibus virtute præmia impertiri: quod non implet, qui unius odii finit prægravari alium: qui ex facto non suo damnus alicui & incommodum infert, & in pœnarum unius sceleri debitaram societatem trahit eum, qui à culpa est immunis; quod enim ad virtutem superesset illicitum, *Quis locus innocentia, si alienum crimen maculet & inficiat neficientem? can. Quis locus. 1. q. 4.*

3. Nihilominus quis non immeritò ambigat, an pro Regula fortius ista, quàm aduersus eam militent exempla Divini, & humani Juris Constitutiones. In sacra profectò Historia peccante Cham Channan quoque; ejus filio Noe maledixit, *Genes. cap. 7. v. 5.* prævaricante Achan populus Israël in manus hostium traditus est, *Josue cap. v. 5.* filiorum suorum, populum à sacrificio retrahentium, odio gravatus Heli à sella decidit retrorsum, & fractis cervicibus expiravit, *1. Reg. cap. 4. v. 18.* & peccante David, gladius Domini defævit in populum, multis millibus consumptis, *2. Reg. cap. 24. v. 18.*

4. Jure humano Ecclesiastico ex illegitimo thoro procreati à sacris Ordinibus removentur, *c. 1. Sc. de Filiis presbyt.* filij matris, & patris hæretici etiam nepotes ad beneficia Ecclesiastica & officia publica non admittuntur, *c. Quicumque 2. §. Hæretici Sc. Statutum 11. de Hæreticis in 6.* & propter civitatis, Episcopum suum sacrilegè necantis, immanitatem Ecclesia statu suo dejecta & privata est dignitate Episcopali, *can. Nos. itaque 29. q. 2.* Imperiali Jure Majestatis violatæ rei parentis infamia portecta est ad filios; qui à materna quoque avitæque & propinquorum successione repelluntur, *l. Quisquis 5. C. ad L. Jul.*

Majest. uxore Præconsulis delinquente ratio; & vindicta exigitur à marito, *l. Observare 4. §. 2. ff. de Offic. Præconsul & procuratoris, appellandi fatalia labi sinentis, negligentia nocet domino; ut iis jam lapsis provocans non audiatur, l. 1. §. fm. ff. Quando appelland. sit.*

5. Exempla hæc & instantiæ ad eò ponderosæ sunt; ut præsentis Regulæ non declarationem tantum admittant, sed exigant restrictionem; quantumvis enim ad æternam suo tantum scelere promeriti à Deo condemnentur, temporali tamen pœnâ quandoque involuntur alii; vel; quòd extra crimen, licet esse videantur, revera tamen non sint instar Heli, sacerdotis melius quàm patris officio perfuncti. Vnde factum; ut, cum liberorum prævaricantium correctione ipse negligeret, ad eorum iniquitatè in se quoque vindicandam Deum provocaret: vel; quòd licet nec socii nec participes fuerint ejusdem, aliis tamen sceleribus iram & ultionem Divinam promeriti sint: vel; quòd ad delinquentem aliquò modò, ut filij & subditi, ad patrem vel Principem, pertineant, in illoque peccatum sit commissum, sicut à Davide populi sui numeratione commissum peccatum Deus illius diminutione est ultus: vel; quòd aliorum afflictionem acerbius ferat delinquens: & qui propter ipsum affliguntur, pœnæ temporalis patientià æternam felicitatem facilius consecuturi, à sceleribus deterrendi & ad pœnitentiam agendam pro peccatis excitandi prævideantur. Quare vel tales alieni sceleris aliquò modò participes & alienorum criminum rei fuerunt, vel non? Si prius, quæ patiuntur, pœnæ rationem tam ipsorum quàm eorum, pro quibus puniuntur, respectu habent. Si posterius, patiuntur, quæ ipsorum respectu solius medicinæ; pœnæ verò rationem tantum habent ratione eorum, pro quibus pati-

patiuntur; secundum D. Thomam 1. 2. q. 87. art. 1.

6. Ab humana etiam potestate, licet mortis, tam naturalis animam à corpore, quam spiritualis hominem à fidelium communiione separantis, gladiò foli nocentes puniantur, juxta illud, *Anima que peccaverit, ipsa morietur*, Ezechiel. cap. 18. V. 6. can. *Si habes 24. q. 3. Sc. Romana 5. V. fin. de Sent. excom. in 6.* ex justa tamen eaq; gravi causa Ecclesia illegitimos & hæreticorum filios ab Ordinibus ac beneficijs removet, cum; quòd metuat; ne imitatores sint incontinentiæ ac perfidiæ paternæ: tum verò favore Divini cultûs & Sacramentorum, quæ ut dignè administrantur, committi decet personis, de quarum honesta conversatione ac virtute præsumi potest. Eadem dignitatis Episcopalis ademptione solam civitatem, Pontificalis cædis iteratæ ream, punivit, can. *Ita non cit.* non ipsam Ecclesiam materialem, culpæ pœnæque incapacem. Vnde respectu istius ademptio illa, & respectu illegitimè atque hæreticis natorum ad Ordines ac beneficia inhabilitas, non habet rationem pœnæ: sed damni, ex alieno factò quandoque imminentis.

7. Legibus etiam Imperialibus ex justa causa Imprimis læsæ Majestatis rei filiorum damno coercerentur; quòd in his paterni criminis timeant exempla, & parentes amore liberorum atrocissimi ejus criminis non capturos consilia, imò nec cogitationem admissuros confiderent. De in uxoriam culpam vindicant in maritis ad provincias ituris; quòd hi affectûs in temperantiâ & indulgentiâ suâ ad sordes aliæque delicta ansam illis præbere & in culpa esse, præsumantur. Bruneman. in l. *Observare cit. n. 4.* Demum procuratoris, in tempore non appellantis, negligentia domino nocet favore rei judica-

tæ: cujus major ratio quàm damni in dōminum redundantis habetur; quòd dōminus illum spontè elegerit, §. *fin. Institut. de Societ.* Accedit; quòd dōminus, si procuratorem appellationis omissione deliquisse notorium sit, vel legitimè probeatur, ipsum ad damni resarcitionem valeat convenire: &, si solvendo non sit, ejus culpam domino non obesse, Bartol. in 1. §. *fin. cit.* & huic in integrum restitutioni auxiliò succuri cum ex clausula generali cum Gaill. *Lib. 1. observat. 139 n. 10.* & Mævio p. §. *Decis. 270.* velit Bruneman. in l. 1. *cit. n. 19.*

Ex hæcenus deductis liquet, proxime sequenti expressam clausulam, *Nisi subsit causa*, in proposita Regula subaudiendam; cum, jure ex justa causa disponente, alieni criminis odiò aliquando alios gravari & damnum sentire, sit exploratum.

REGULA XXIII.

Sine Culpa, nisi subsit Causa, non est aliquis puniendus.

SUMMARIUM.

1. Regula sensus & ratio.
2. Exceptio ab ea exemplis declarata,
3. Et firmata ratione.

Istius tenore duas Regulas aliqui: 1. alii melius cum Dyno n. 1. & Canisio *pr.* Regulam cum exceptione contineri, volunt.

Regulæ sensus est, *Nemini pena infligenda est propter alium vel omissionem, qua dolò & culpâ vacat.* Ratio plana est; quia, ubi non est dolus nec culpa, ibi non est delictum, c. *Cum voluntate 54. de Sent. excom.* ubi autem delictum seu peccatum

atum non est, nec pœna esse potest, l. Si pœnator 31. ff. ad L. Aquil. & c. Cognoscetes 2. de Constitut. Omnis enim pœna, Si justa est, peccati pœna est, & supplicium nominatur, sententia est S. Augustini Lib. 1. Retract. cap. 9. & ut Vlpianus ait, Pœna est noxa vindicta, l. Aliud 31. pr. ff. ad L. Aquil. ac proinde noxam sive peccatum & dolum, vel saltem culpam præsupponit.

2. Quæ ad infringendam Regulæ vim adducuntur, vel sine culpa punitorum exempla, si penitentiùs inspiciantur, non sunt: vel sunt instantiæ seu casus pertinentes ad exceptionem, Nisi subsit causa, Regulæ insertam: & ex justa causa puniri, sive damno & pœnalitate aliquâ affici permittentem eum, qui à culpa est immunis; sic enim ab Ordinibus & beneficiis Ecclesiasticis, præter illegitimè aut ex parentibus hæreticis natos arcentur, qui feminâ ab alio corruptam ignarus duxit, cum eaque matrimonium consummavit, can. Præcipimus 10. dist. 34. & iudex etiam, à quo reus ad mortem vel membri mutilationem per sententiam iustam est condemnatus, can. 1. dist. 51. can. His à quibus 23. q. 8. & c. Simili modò beneficium dimittere tenetur, qui id consecutus est per Simoniam, ipsò ignorante, ab alio commissam, c. Nobis 27. de Simonia & c.

3. Ratio exceptionis est; quia potestas summi Principis, Ecclesiastici quidem ad beneficia Officiaque Ecclesiastica, res & jura ad loca & personas Ecclesiasticas pertinentia, can. Cum tunc 9. q. 3. & c. Licet 2. de Prab. & dignit. in 6. Sæcularis autem ad honores & munera civilia, resque bona & jura etiam privatorum se extendit, l. Bene à Zenone 3. C. de Quadrienii præscript. ut, licet de iis non pro libitu suo, ex justa tamen & publica, ille Ecclesiæ & Catholicæ Religionis: iste verò Reipublicæ causa disponere, eaque subditis eti-

am non merentibus denegare, auferre vel transferre legali aliave ordinatione valeat, Panormit. in e. Cum in Ecclesiis 7. de Constitut. n. 7. Jason in l. Barbarius 3. ff. de Offic. Prator. n. 24 & Gaill. Lib. 2. observat. 26. n. 3.

REGULA XXIV.

Quod quis mandatò facit iudicis, dolo facere non videtur; cum habeat parere necesse.

SUMMARIUM.

1. Sensus & ratio Regulæ,
2. Etiam in patre, Prelato & c. locum habentis:
3. Nisi aliquid contra Jus Naturale vel Divinum,
4. Aut potestatem suam excedens,
5. Vel ad Officium suum non pertinens, mandet.

Sensus est, Ad dolo excusatur, qui iudicis mandatò facit aliquid vel omittere. Ratio ipsa Regulæ redditur; quia Necesse habet parere; cum iudicis, ad Officium suum pertinentium aliquid præcipientis, mandatò propter auctoritatem ejus publicam parendi necessitas subditos maneat; ut, si ejus mandatò non obtemperent, dolo non carere præsumantur, Reg. Non potest 119. in Pandectis: necessitas autem doli præsumptionem facit cessare, l. Mater 2. C. de Calumniat. imò inducit præsumptionem contrariam, doli & fraudis omnis absentis, l. Si stipulatus 81. §. 1. ff. de Solutionibus. Confirmatur; quia iudex quæcunque facit ac jubet, justè facere ac jubere præsumitur, c. Sicut 18. in fine, de Sent. & rejudic. & l. fin. ibi Quod non arbitra-

Fiff

bitra.

bitramur, C. de Offic. jud. Civil. Ergo etiam is iuste facere & extra dolum esse præsumendus est, qui ejus iustitiam obtemperat.

2. Quin istius Regule argumentò non solum is, qui iudicis, & multò magis Principis, *l. Quod Princeps 23. ff. de A qua pluvia arc.* sed etiam, qui patris Prælati, domini aut alterius sui superioris mandato obtemperet, à dolo excusatur; cum parere etiam ipse habeat necesse: & sicut ii, quorum mandato obtemperat, honestè iustitiam mandare, sic ipse mandata exequendo iustè honesteque & nihil fraudulenter ac dolosè facere præsumatur, *Peckius ad hanc Reg. n. 3.*

3. Hæc tamen etiam admittunt, imò exposcunt declarationem & exceptionem, *Nisi iusta sit causa non parendi*: qualis imprimis est, si iudicis &c. mandatum adversetur Juri Naturali aut Divino; sic enim, quantumvis iudex mulieri præcipiat; ut viro conjugale debitum reddat, & excommunicationis censurâ urgeat renuentem, ipsa tamen, nuptialis impedimenti inter se & virum intercedentis conscia, parere nec tenetur, neque illasâ conscientiam potest, *c. Literas 13. de Rescriptis. spol. & c. Inquisitioni 44. de Sent. excom.* quòd id Naturali ac Divino Jure vetitum sit. Simili modò sententiam allegationibus falsis à iudice obtentam is, pro quo lata est, observare, eaque sibi adjudicatum retinere non potest; quòd litem moverit injustè & contra propriam conscientiam: contra quam agens ædificat ad gehennam, *c. Inquisitioni cit. ubi Anchoran. n. 1.*

4. Deinde, si iudex inferior aliquid mandet contra Jus manifestum; cum enim in eo dispensandi careat potestate; ac proinde ejusmodi mandatò excedat limites sibi concessæ potestatis & usurpet ju-

risdictionem, quam non habet, ei perinde, ut extra territorium suum Jus dicenti, impune non paretur, *l. fin. ff. de Jurisdic. & l. i. §. i. in fin. ff. de Ferris.*

Demum, si mandet, quod ad ipsius officium non pertinet, *l. Factum 170 ff. de R. J.* cum, si iudex ad rem certam datus, de aliis ad eam non pertinentibus pronuntiârit, nihil legis videatur, *l. 1. c. Si à non compet. uti &*, si absque causâ cognitione, vel alterâ parte non citatâ, ad unius instantiam procederet; cum tali casu pro iudice, ejusque decreto & mandato non præsumatur, *c. Conquerente 8. de Rescriptis. spoliat. Gaill Lib. 2. observat. 76. n. 5.*

REGVLA XXV.

Mora sua cuilibet nociva est.

SUMMARIUM.

1. Mora est Culpabilis & damnosa dilatio debiti.
2. Alia ex Persona est, & alia ex Re.
3. Illa legitima hominis interpellatione.
4. Ista ipsò Jure & lapsu temporis indicitur.
5. Mora effectus.
6. Regule sensus & declaratio.
7. Eiusque declarata ratio.
8. Jura, moram unius alteri nocivam suadentia.
9. Id, quod suadent, non persuadent.
10. Suadentia, suam moram alicui non nocivam.
11. Moroso debitori, etiam ipsa non patrocinantur.

MOra generatim quædam Dilatio seu tarditas: speciatim & in propositâ Regula sensu accepta, est Culpabilis ac damnosa

noſa dilatio dandi faciendū eō tempo-
re, quō quis debet & poteſt Comittitur,
cūm v.g. quis non exhibet, vel etiam non
acceptat ſolutionem debiti, quando id
facere poteſt ac debet, Pickard. *Traſſ.*
de Mora n. 10. & Barboſa hic n. 1. §. 2.

2. Est hæc mora duplex. Vna ex Per-
ſona, altera ex Re, *l. Mora 32. ff. de Vſur.*
& *fruct.* quarum illa etiam Regularis,
iſta Irregularis nuncupatur.

3. Ex Perſona ſive Regularis mora
inducitur legitimā hominis, ſcilicet ejus,
cui debetur, interpellatione; ut v.g. qui
prædium emit certō pretiō pecuniariō,
cujus ſolutioni certa dies vel tempus con-
ſtitutum non eſt, ex Perſona moroſus de-
bitor ſit, quando, à venditore pro ſolu-
tione ſaltem ſemel interpellatus, eam non
exhibet, cūm poſſet, *l. Mora cit. §. l. Si
ex legati 22. ff. de V. O.* quantumvis enim
in omnibus obligationibus, quibus, cer-
ta dies non apponitur, præſenti debeat,
l. Eum, qui 31. §. ff. de V. O. & Reg.
In omnibus 14. ff. hic, debitor tamen in
mora non conſtituitur: niſi opportuno
tempore pro ſolutione interpellatus eam
non exhibeat, cūm poſſet.

4. Ex Re & Irregularis mora eſt, quan-
do ipſo Jure & lapſu temporis ſine ulla
creditoris interpellatione id, quod debe-
tur, præſtandi obligatio debitorem mo-
net: eoque terminō lapſo, quod debe-
tur, præſtitum non eſt: ſicut fur & ra-
ptorex ipſare, & ab ejusmodi delicti com-
miſſi tempore in mora eſt, *l. ſu. ff. de
Condiſt. furtiva §. l. Meritō 19. ff. de Vi
armata.* Sic etiam, qui minori ex fidei.
commiſſo, legato vel bonæ fidei contra-
ctu aliquid debet, ex lege ſtatim eō die,
quō debere incipit, ſolvere tenetur, & ſine
ulla interpellatione conſtituitur in mora,
*Minorum 3. C. In quibus cauſ. reſtit. ne-
ceſſ.* Item ſere eſt in emptore, qui ex re
ſibi vendita & tradita fructus percepit,

pretiō non ſolutō; nam & ipſe propter
fructus venditori, etiam non interpella-
tus, tenetur in id, quānti ejus intereſt, *l. Cu-
rabit 5. C. de Actiō. empti*; quod ipſum
Jus ſive lex ſatis interpellat; ac proinde,
ſi debitum non præſtetur, debitor in mo-
ra ſine hominis factō conſtituatur. Quod
etiam locum habet in contractibus, ubi
certa dies ſolutioni à contrahentibus ap-
ponitur; cūm enim in iis dies pro homi-
ne interpellet, ipſo ejus diei lapſu mora
incurritur, *l. Magnam 12. C. de Con-
trah. ſtipul. §. l. Si fundus 4. §. ſu. ff. de
Lege Commiſſ.* Hanc autem, ſive ex Re
inductam moram Irregularem DD. vo-
cant; quōd regulariter mora non niſi per
interpellationē committatur, *l. Mora cit.*

5. Effectus moræ ſunt ex ea Imminen-
tia nocumenta; nam debitor v.g. moro-
ſus in ſolvendo incurrit pœnam, ſi quam
contrahentes moræ ſtatuerunt; rei v.g.
equi debiti poſt moram interitu etiam
fortuito non liberatur; ut illum jam
mortuum petens creditor ſaltem æſtima-
tionem judicis officio conſequatur; te-
netur ad intereſſe ſive fructus & uſuras,
& quidem in contractibus bonæ fidei ex
tempore ipſius moræ, *l. Mora cit. §. 2. C. de
Dynus ad hanc Reg. n. 1. & Peckius à n.
11.* ubi plures moræ effectus refert.

6. Regula itaque præſentis ſenſus eſt,
*Quando v.g. debitor de eo, quod debet,
praſtando. ſive ab homine ſcilicet credi-
tore, ſive à Jure vel ſtatu die, inter-
pellatus id non præſtat, mora ipſi, non cre-
ditori, nocet; ut relata aliaque incom-
moda ex mora provenientia ipſe debeat
perſerre, ſubaudi, Niſi moram purgâ-
rit, id, quod debet, poſt diem quidem
conſtitutum, ſed antequam creditor ul-
lum damnum ex dilatione acceperit, ſol-
vendo: vel ſolutionem poſtea oblatam
iſte, cūm potuiſſet, noluiſſet acceptare;
cūm poſteriori hac motâ purgetur prior,*

F i f f a

l. Und

l. *Illud 17. ff. de Periculo & Commodo Sc.* ut debitor à damno sive obligatione perferendi moræ effectus seu nocumenta absolvatur: exceptâ tamen poenâ, si quæ fuit constituta; quia hæc semel commissâ seu contractâ non purgatur, Glossa *bic:* quæ tamen ipsa à debitore non committitur, si ab ejus, quod debet, præstatione inculpabiliter fuit impeditus, l. *Quod te 5. ff. de Reb. credit.* cum ea, de qua agimus, mora dolum vel culpam præsupponat, Bartol. in l. *Quod te cit. in sine* & Farinac, Tom. 1. *Consil.* 15. n. 36.

7. Ratio Regulæ ita temperatæ est; quia mora contumacia quædam & frustratio est: quæ dolum vel culpam præsupponit, l. *Quod te cit.* aded; ut morosus debitor furi ac prædoni æquiparetur, l. *fin. ff. de Condit. furt. & l. Inter stipulantem 83. §. 7. ff. de V. O.* contumacia autem & frustratio sua cuique nocere debet, l. *Locum 3. §. 1. ff. de Exhibit. tabul.* ut poena & damnum suum teneat autorem, nec porrigatur ad eum, qui morâ est delusus.

8. Quantumvis autem hæc ratio Regulam in æquitate naturali fundatam demonstret, & prodita etiam sit Jure Civili, l. *In condemnatione 173. §. 2. ff. de R. J.* obvix tamen & factis luculentæ sunt Juris definitiones, quæ eam dubiam reddunt; & imprimis quidem, non suam dontaxat, sed alienam quoque moram alicui nocivam esse, exploratum inde est; quod ex mora filii pater, l. *Cum filius 49. pr.* fidejussor ex mora debitoris principalis, l. *Mora 88. ff. de V. O.* & ex duorum reorum promittendi unius mora alter teneatur l. *In condemnatione cit. §. 2. & l. Ex duobus 18. ff. de Duobus reis Stipul.*

9. Sed ista, unius moram alteri damnosam, non evincunt; quia mora filii patri tantum nocet quoad actionem de peculio, l. *Cum filius cit. pr.* quoad quam actionem pater moraliter idem esse cum filio censetur

Barbosa *bte n. 8.* Simili modò fidejussor, quatenus ejus obligatio velut accessoria repræsentat obligationem rei sive debitoris principalis, idem cum isto censetur, §. *Fidejussores 5. Instit. de Fidejuss.* junctâ *Reg. Accessorium 42. in 6.* Unde principalis debitoris mora ipsi nocet quoad obligationis perpetuationem: non etiam quoad ejus augmentum, scilicet interesse & poenam: nisi in omnem causam fidejussisset, l. *Quæro 54. pr. ff. Locari* Barbosa l. *cit.* & Ludwell in l. *In condemnatione cit. §. 2. cit. n. 7.* Eodem ferè modò correo unius factum alteri nocet solum quoad obligationis perpetuationem sive conjunctionem; ne scilicet una eademque obligatio quoad unum maneat, & tollatur quoad alterum; cum quoad hanc solam (non etiam quoad obligationis augmentum) unius instar reputatur. Quare cum §. *2. cit.* unius moram alteri nocere, asseritur, *Nocendi* verbum non tam *damno* afficere, quam *non prodesse* significat; quod scilicet correo non proficit ad liberationem, sed obligatio in utroque perseveret, ut eruditè observant *cit.* Barbosa n. 8. & in l. *In condemnatione cit.* Wissenbach. n. 7.

Deinde, suam etiam moram alicui nocivam non esse, desumitur Primò ex responso Ulpiani, debitorem, si subterfugia non quærat, ex mora teneri, inficiantis, l. *Sciendum 21. ff. de Usur. & fruct.* Secundò; quod ex promissione debitor servus, si hunc infirmum negligat, isque decesserit, ex culpa sua non teneatur, l. *Si servum 91. ff. de V. O.* Ergo neque, si servus decesserit post moram in eo exhibendo. Tertiò, idem debitor, si servum promissum manumiserit, isque ante moram decesserit, non teneatur, l. *Is qui 45. ff. de O. & A.* qui cum aperte sit in dolo & non teneatur, etiam non tenebitur, qui est in mora,

Sed ista

11. Sed ista morosis exile patrocinium præstant. Primum; quia in *l. Sciendum cit.* casu debitor morosus non est; cum eò sermo sit de debitore, non modo non quærente subterfugia, sed sollicitè quærente fidejussores & alios, quorum auxiliò creditori satisfieri queat; qui cum dolò & culpâ vacet, in mora propriè non est, Salicetus in *l. cit.* & Peck. *hic n. 17. ad 2.*

Alterum; quia *l. Si servum cit.* promissor servi ex contractu, non ad faciendum sive curam adhibendam, sed solummodo ad dandum tenebatur: qua in re cum morosus non fuerit, ex mora utique non tenetur. Neque etiam aliunde, nisi ejus dolò vel culpâ latâ servus interiisset, Zasius *ad l. cit. n. 7.*

Ultimum; quia, ut silentiò præteream; quòd *l. Is qui cit.* à Paulo redditum Responsum, quatenus debitorem, qui rem debitam possidere dolò desit, liberari ait, iniquitatis plenum & praxi nequaquam convenire asserant Odofredus ac Zasius magni nominis Interpp. ut, inquam, hoc præteream, memoratus JCT.⁹ oculos solum habuisse intentos in moram, in qua debitor, *l. cit.* non fuit: ab eo autem, quod ante moram à debitore est factum, abstraxisse videtur, Peckius *cit. n. 17. ad 3.*

REGVLA XXVI.

Ea, quæ fiunt à judice, si ad ejus non spectant officium, Viribus non subsistunt.

SUMMARIUM.

1. *Extra officium sunt, quæ excedunt potestatem.*
2. *Sensus & ratio Regula.*
3. *Instantia ei opposita.*
4. *Extra territorium etiam Voluntaria jurisdictio.*

5. *Et in non subditum aliquando Necessaria exercetur.*

Officium judicis nomine hoc locò venit Potestas, ei sive à lege vel canone sive ab homine concessa; ut proinde ad officium suum non pertinentium aliquid agere intelligatur, quando egreditur limites sibi concessæ potestatis, vel hanc exercendo in non subditum, *c. At Si Clerici 4. pr. de Judiciis*, vel extendendo ad rem seu causam sibi non commissam, *l. 1. C. Ubi in rem act.* vel extra territorium suum jus dicendo, *c. fin. de Constitur. in 6. & l. fin. C. de Jurisdic. vel non servatò Juris ordine sibi præscriptò, c. Conquerente 7. de Restitut. Spoliar. & l. Prolatam 4. C. de Sent. & interlocut.* Unde

Regulæ sensus est, *Id, quod judex potestatis suæ limites egrediendò facit, invalidum nullumque est;* sic enim invalida sunt acta judicis Secularis, de crimine clerici, de Ordinationis, Religiosæ professionis vel matrimonii valore cognoscentis, *per text. aut arg. c. At si clericus cit. pr. c. Tuam 3. de Ord. cognit. c. Si judex 12. de Sent. excom. in 6. & c. sententia definitiva à judice extra territorium suum pro tribunali sedente prolata, c. l. fin. cit. sententia lata partium alterâ non citatâ, l. Ea qua 7. l. Consentaneum 8. C. Quomodo & quando jud. vel sine prævia causæ cognitione, l. Necquiequam 9. ff. de Offic. Proconsul. Maranta de Ord. judic. p. 6. de Sententia n. 51. quòd his casibus omnibus judex officii seu potestatis suæ limites egrediatur.*

Ratio solida est; quia valor, vis & efficacia eorum, quæ aguntur à judice, tota fundatur in ejus potestate publica sive jurisdictione: quâ proinde, tanquam fundamentò, respectu personæ, causæ, territorii &c. deficiente, aut ad personam, causam

¶ ¶ ¶

causam, territorium se non extendente, ab eo acta non subsistere, seu valore & viribus destitui, est necesse.

3. Sed etiam hæc Regula minus quam primò intuitu apparet, expedita est; contra eam enim facit Primò; quòd Episcopus extra diocesim suam validè conferat beneficia, ab eaque & Sede sua expulsus jurisdictionem suam in civitate Episcopi vicini exercere liberè possit, *Clement. Unic. de Foro compet.* Secundò; quòd valeat citatio non subditi in territorio existentis; ut venire teneatur, *l. Si quis s. ff. de Judiciis* & subditi existentis extra territorium; ut, si citatus contumaciter absit, excommunicationis sententia in eum valeat proferrì, *c. Tue 2. Ut litem contest.* & *c. Ex tua 11. de Cleric non resid.* Tertio, excommunicatio injusta, licet extra iudicis officium lata sit, timenda est, *can. Quibus Episcopi. 11. q. 3.* luculentò argumentò, eam Jure subsistere.

4. Verùm ista, sicut consentanea veritati, sic Regulæ non contraria sunt; quia imprimis Episcopus conferendo beneficia & alia, quæ voluntariæ jurisdictionis sunt, in subditos extra territorium existentes exercendo, eos verbali citatione vocando in jus & contumaciter absentes excommunicando non egreditur limites sibi concessæ potestatis; cum ista ad proprium territorium non restringatur, nisi quoad actus, quibus alienæ jurisdictioni præjudicatur: quòd non contingit per actus relatos; quòd collatio beneficii & alii voluntariæ jurisdictionis actus, uti & mandata citationis insinuatio sine ullo strepitu & figura judiciali verbis aut literis peragantur; & excommunicationis sententia lata in subditum extra territorium existentem invisibiliter animam liget, Panormit. *in c. fm. de Foro compet.* Vide ad hanc Rubric. dicta n. 31.

Deinde; quia hoc ipsò; quòd Epi-

scopus à Sede & diocesi sua expulsus propter necessitatem & utilitatem publicam subditis suis in aliena diocesi jus dicere, etiam contentiosa jurisdictionis actuum exercitio permittatur, officii seu potestatis suæ limites non egreditur; quia eò casu aliena diocesis vicinia ex Juris dispositione territorium ipsi cum alieno Episcopo commune est. Præterea non subditi & exempti à iudice non suo citati comparere eò solum casu teneantur, quòd, eum iudicem esse incompetentem, notorium non est: & ad eum duntaxat finem; ut, an suæ jurisdictioni subditi sint, cognoscat, per tradita *Lib. 2. tit. 2. an. 16.*

Demum excommunicatio à non habente potestatem, vel in non subditum vel iudicariò ordine non servato, vel contra apertum Jus, v.g. post legitime interpositam appellationem, vel ex causa notoriè injusta lata, hoc ipso; quòd Jure invalida sit, timèda non est; ut proinde *can. cit.* dispositio de ea solum excommunicationis sententia procedat, cujus nullitas vel injustitia notoria non est; hæc enim utique timenda est, donec de ejus nullitate legitime constet; propter magnitudinem periculi ex ea, si iusta declaretur, imminenti.

REGULA XXVII.

Scienti & Consentienti non fit iniuria, nec dolus.

SUMMARIUM.

1. *Consentire est, jure suo efficaciter credere.*
2. *Sensus & ratio Regule.*
3. *Qua instantiis, communiter objici solent.*
4. *Et Juris textibus declaratur.*

Confen-

1. **C**onsentire hoc loco intelligitur is, qui jure suo quoad aliquem actum cedit, non qualicumque, sed efficaci sive tali voluntate, cui neque à Jure, neque ab homine vis & valor est ademptus; neque enim hominum voluntas semper ita expedita est; ut v.g. jure suo se abdicare semper efficaciter possint; cum pupillus, minor, filiusfamilias & similes certis casibus jure suo cedere, licet maximè velint, non valeant ita; ut alter ad id non lædendum: & si læserit, reparandum non maneat obligatus, Jure intuitu privatæ illorum & publicæ etiam utilitatis consensui & cessione resistente, Haunold. *Tom. 1. de J. & J. tract. 2. n. 116.* Unde

2. **F**amosæ istius multoque usu tritæ Regule sensus est, *Is, qui aliquid probè intelligit, nullaque vi aut metu coactus, libera & juris sui efficaciter abdicativâ voluntate consentit, nec injuriam patitur, nec dolò circumvenitur.* Quò sensu etiam exaudienda est Regula Juris Civilis, *Nemo videtur fraudare eos, qui sciunt & consentiunt*, quæ est 145. in *Pandectis*: eamque ita acceptam Naturæ lumine notam, cum Philosopho 5. *Ethic. cap. 9. affert*, S. Doctor Angelicus 2. 2. q. 5. art. 3. Ratio manifesta est; quia injuria non est, ubi non resistit jus personæ, cui dicitur inferri. At, quando quis liberæ voluntatis consensu jure suo efficaciter cessit, ejus jus non resistit: sed pro actu, pro quo ille cessit, sublatum est vel suspensum; ut proinde eò actu injuriam non patitur, nec dolò circumveniat.

3. **A**tque hoc modò intellectâ Regulâ vim omnem amittunt instantiæ SS. Martyrum, pro Christo pati morique desiderantium: mariti, in uxoris adulterium consentientis: mutuatarii, usuras fceneratori promittentis ac solventis: quos sibi illatâ morte, uxoris adulterio, usurarum

exactione & receptione injuriam pati, crebriori DD. calculò est receptum: idèmq. est de uxore & moniale, à marito vel Monasterio non redeundi animò propria temeritate recedentibus; nam etiam hæc, si reversæ non recipiantur, injuriam patiuntur; cum tanquam spoliatæ ante omnia restituendæ sint, *Glossa in c. Literas 13. V. Diversis, de Restitut. Spoliat. & ibi Panormit. n. 9.* Facilis certè ad has instantias omnes responso earumque cum Regula proposita conciliatio est; quia SS. Martyres, pro Fide in Christum pati ac mori desiderandò, ullò jure suo se non abdicarunt, *Sylvester V. Consensu n. 2. Lessius Lib. 2. de J. & J. cap. 7. n. 14.* & ei, quod in vitam & membra est, renuntiare, cum domini non fuerint, non potuerunt: mutuatarius autem non sponte, sed fceneratoris mutuum sine usuris dare nolentis, avaritiâ, suâque necessitate coactus usuras solvit, *Molina Tract. 2. de J. & J. disp. 304. n. 11.* Clerici quoque in sui percussione, mariti in uxoris adulterium consentientis: monialis Monasterio suo renuntiantis voluntates Jure sunt irritatæ, *arg. c. Significasti 4. de Divortio.*

4. **N**on magis, quàm deductâ instantiæ, obstat; quòd mulieri, quæ sciens & consentiens damnosam hæreditatem adiit, in integrum restitutionis auxiliò succurratur, *l. Mulieri 21. §. 5. ff. Quod metus caus. gest.* & casu, quò servus ab alio inductus, ut furtum domino faciat, id facit sciente & consentiente domino, iste nihilominus agere valeat adversus suam rem, *l. Si quis servo 20. C. de Servo corrupt.* Non, inquam, etiam hæc obstant. Prius; quia *l. cit.* mulier hæreditatem addiit metu, quò coacta, licet in aditionem consenserit; quòd coacta voluntas revera sit voluntas, ex æquitate tamen ei succurritur; quòd habuerit jus, ne aditio metu extorqueretur, istiusque juris violatione passâ

passa injuriam dignaque sit, quæ extraordinariò illò remediò adjuvetur. Posterior, cum; quia, ne servus corrumpetur, dominus habuit jus, eoque se non abdicavit: tum verò; quia *l. Si quis cit. in rei suæ ablationem dominus non consentit simpliciter; ut ablata possent retineri: sed præcisè animo experiendi malitiam improbi tuatoris: &; ut scelere, quod moliebatur, opere consummato commodius ac tutius furti aut servi corrupti actione conveniretur, Meinerus ad Reg. Nemo cit. n. 7. & Peckius hic n. 13. in fine.*

REGULA XXVIII.

Quæ à Jure communi exorbitant, nequaquam ad consequentiam sunt trahenda.

SUMMARIUM.

1. *A Jure exorbitant, quæ ei contraria sunt.*
 2. *Proposita etque consona Civili Regula sensus & exempla.*
 3. *Ratio & declaratio ejusdem.*
 4. *In necessariò connexis.*
 5. *Et Pius causis non procedenti.*
1. **E**Xorbitare, sive ab orbita viâque Juris communis desistere, præse ea, quæ Juris communis Regulis sic adversantur; ut difficillimè rarissimèque soleant concedi: largè verò censentur quæcunque statuta, consuetudines, privilegia & dispensationes, contrariæ Juri communi. Unde
2. Percelebris istius Regulæ sensus est, *Legales aliaque dispositiones communi Juri derogantes in consequentiam, sive ad personas & casus non expressos, non sunt parrigenda: quo sensu Quod con-*

tra Juris rationem receptum est, non præducendum ad consequentiam, asseritur, Regula 141. in Pandectis; sic enim permissio nuptiarum inter personas sanguine & affinitate conjunctas, Anglis ad fidem recens conversis à sede Apostolica facta, cas. Lex quadam 20. V. Quod scripsi 35. q. 3. ad aliam gentem, ad Christianam Religionem nuper conversam, Glossa in can. cit. & laicis Ecclesiarum & beneficiorum Ecclesiasticorum fundatoribus ad ea præsentandi facultas ad electionem, collationem liberam & juris patronatûs causarum cognitionem nequaquam extendenda est, c. Sacrosancta 51. c. Messana 56. de Elect. & c. Quanto 3. de Judicis. Sic vigore dispensationis, ad dignitatem vel beneficium generatim sine curæ mentione illegitimè nato indulgètur, curatum, c. In illa 6. de Prob. & dignit. in 6. vel plura quam unum nequit obtineri, Glossa in c. 1. §. fin. de Filiis Presbyt. in 6. Simili modo adulterum cum filia, quam in potestate habet, deprehensum occidendi facultate (vel potius impunitate) patri facta, l. Patri 20. ff. ad L. Jul. de Adult. nemo alius ex patribus, nec filius familias pater uti permittitur, l. cit. quòd hæc & similes concessiones aliæ à Juris Regulis sint exorbitantes; atque idcirco ob similitudinem, paritatem, imò & identitatem rationis in consequentiam, & ad personas vel causas non expressas non sint trahendæ, secundum Regg. cit. quarum

Ratio solennis est; quia odia restringi & favores convenit ampliari, *Regula est 15. in 6. ea autem, quæ à communis Juris Regulis exorbitant, esse odiosa, concorsententia DD. & ratio solida est; quia Jus commune, cum propter utilitatem publicam conditum & ab omnibus receptum sit, favorabile; ac proinde, quæ ei contraria sunt, odiosa, & in consequentiam, sive ad personas & casus non expressos tra-*

Eos trahenda non sunt; *c. Sanè 9. de Privileg.*

Neque à Jure exorbitantia extensionem admittere, persuadet; quòd consuetudo ab Episcopali civitate ad oppida pagos aliisque loca dioecetana à Decio *Consil. 384.* imò & ad vicina extendatur, *c. Ex parte 18. de Consil. exat.* Et, quia, licet in dubio, quod in ejusmodi civitate aut vicinia usu introductum constat, in aliis dioecetanis aut vicinis locis receptum fuisse, arguatur ac præsumatur: consuetudinem tamen à Jure communi exorbitantem, quæ in una etiam Episcopali, Metropolitana aut vicina civitate utentium moribus invaluit, eò ipsò in oppidis aliisque locis inferioribus aut vicinis, in quibus ea usu introducta non est, observandam, nec Jus nec ratio docet.

Neque etiam; quòd dispensatio, ad parochiale vel aliud beneficium curatum, à minore 25. annis impetrata, ad susceptionem Ordinis Sacerdotalis intra annum: eadèmq; ad duo ejusmodi beneficia obtinenda & simul retinenda indulta ad non residendum in altero, sed ei per vicarium deservendum extendatur, ex communi & certa sententia DD. quia hæc tanquam necessario cõnexa ejusmodi dispensationib; licet non exprimantur, comprehendi sine ulla extensione intelliguntur, *arg. c. Præterea 5. de Offic. deleg.* quòd beneficium curatum sine Ordine Sacerdotali nec administrari nec retineri ultra annum: & in duabus parochiis aliisve beneficiis curatis residere & utrique deservire simul nemo possit, *c. Licet 14. de Elect. in 6.* ac proinde dispensatio ad beneficium curatum vel ad duo ejusmodi beneficia indulta, sine dispensatione in ætate ad Ordinem Sacerdotalem Jure requisita, & in residentia careret effectu, & inutilis foret, contra mentem Papæ dispensantis, per ea, quæ *arg. l. Quidam 57. ff. de Rejudic. tradit*

Panormit. in *c. Nonnulli 28. de Rescript. n. 11.* Unde ea, quæ à communi Jure exorbitant, ad necessariò connexa extendi, vel potius hæc illis comprehendi, aiunt Suarez *de Censur. disp. 4. f. 2. n. 34.* & Gaill. *Lib. 1. observat. 35. n. 10.*

Imò, ejusmodi concessiones Reipublicæ, Religionis, causæ piæ & animarum favore extensionem admittere, cum Cravetta *de Antiquit. temp. p. 4. pr. n. 79.* ad hanc Regulam notant Barbola *num. 4.* & Strein, *n. 3.* ubi plures ab hac Regula exceptiones refert.

REGVLA XXIX.

Quod Omnes tangit, debet ab Omnibus approbari.

SUMMARIUM.

1. Omnes tangit, quod pertinet ad omnes,
2. Vel ut singulos, vel ut universos.
3. Sensus & ratio Regule:
4. Quæ exemplis, ex Ecclesiastico,
5. Et Civili Jure de promptis,
6. Variisque exceptionibus declaratur.

TAngere aliquem dicitur, quod ad eum pertinet; ut in eo præjudicium pati possit. Tangere autem plures, sive ad eos omnes aliquid pertinere potest, vel ut singulos & singillatim sive distributivè sumptos; ut ejus diminutione vel ablatione singulorum particulare jus minuatur vel tollatur; vel ut universos & collectivè sive sumptos collegialiter, & prout constituunt unum corpus seu Collegium; ut illius diminutione vel ablatione commune quidem totius Collegii, sed non particulare singulorum jus minuatur vel tollatur, Dynus *ad hanc*

G g g

ad hanc

ad hanc Reg. n. 1. & 3. Quò præmissò de re vel negotio, plures priori modo tangente, præsens Regula procedit.

3. Eius proinde sensus est, Quòd plures tangit ad eosque omnes pertinet ut singulos, sive sumptos distributivè, ab omnibus sive in idem conspirante omnium consensu debet approbari: quò sensu Imp. Necesse, inquit, est, omnes suam auctoritatem præstare; ut, quòd omnes similiter tangit, ab omnibus comprobetur, l. fin. C. de Auth. præst. Rationis locò sunt tergemina Regula. Prima, Non debet alteri per alterum iniqua conditio inferri, quæ 74. Altera, Id, quòd nostrum est, sine factò & consensu nostro ad alium transferri vel auferri non potest, quæ 11. est in Pandectis. Tertia, In re pluribus communi potior est conditio prohibentis, quæ est 56. in 6.

4. Sic acceptæ Regulae sensus firmatur exemplis ex utroque Jure depromptis; sic enim secundùm præfatos Ecclesiæ canones in servi, pluribus communis, ordinationem omnes, qui in eo jus habent, consentire est necesse, can. 1. & can. Nulli 2. dist. 54. & ordinatio Archiepiscopi omnibus Provinciae suffraganeis præsentibus peragenda fuit, can. 1. dist. 66. quòd negotium ad omnes ut singulos pertineat. Sic hodie quoque ad Prælati electionem vocandi sunt Omnes, qui debent & volunt & possunt commodè interesse, c. Quòd sicut 28. & c. Quia propter 42. pr. de Elect. eaque celebrari per compromissum, Glossa in c. cit. V. Vice omnium & Panormit. in c. In causis 30. de Elect. n. 3. & ad suffragandum extraneus admitti non nisi unanimi omnium consensu potest, c. Scriptum 40. de Elect. & ibi Panormit. n. 3. quòd suffragii jus competat capitularibus omnibus ut singulis & sumptis distributivè; ac proinde eò privari sive abdicare, & extraneò, cujus suffragio vocis suæ vis minuat, admittere invidus cogi nemo possit.

Jure etiam Imperiali in fundo, pluribus communi, servitus non nisi omnium consensu constituitur, l. Per fundum 11. ff. de Servit. præd. rust. & cum ex fonte in alicujus fundo scaturiente novus aquæ ductus concedendus est, non solum fundi domini, sed omnium, aquæ ex illo ducendæ jus habentium, consensum intervenire, est necesse, l. In concedendo 8. ff. de Aqua pluvia arc. omnesque tutores vocandi sunt, cum quis impuberem in filium est arrogaturus, l. Nam & Divus 39. ff. de Adopt. & l. fin. C. de Auth. præst. quòd constitutio servitutis, aquæ ductus concessio & arrogatio illa negotia sint, quæ omnes ut singulos, sive distributivè sumptos, tangunt.

Ex his planè evanescit, quod ex c. i. de His, quæ à majori & l. Quòd major 19. ff. ad Municipal. contra Regulam defumitur argumentum; quia, quòd in capitulo & curia majoris partis suffragiis discernitur, perinde ut omnium consensu decretum, fere in iis tantùm obtinet, quæ plures ut universos & collectivè sumptos tangunt, Dynus cit. n. 3.

6. Alia contra Regulam solita adduci, fere casus sunt ab ea specialiter excepti; excipitur enim, & licet omnes ut singulos tangat, valida tamen est præsentatio ad Ecclesiam vel beneficium Ecclesiasticum, majoris partis plurium compatronorum consensu facta, c. Quoniam 3. de Jure patronat. favore Ecclesiæ & animarum, quibus diutina vacatio damnosa & periculosa esse solet, c. Ne pro defectu 41. de Elect. Simili modo, favore liberationis obtinet à majori creditorum parte approbata remissio partis debiti ipsis solvendi ab hærede, hæreditati se immiscere eamve adire aliter nolente, l. Jurigentium 7. §. fin. ff. de Partu: sicut etiam statur majoris eorundem partis judicio, cum in pari debiti quantitate quinquennii induciæ indulgentur

adulgentur debitori, *l. fin. V. Pari C. de Aub. praest.*, ne is veniat ad miserabile auxilium cessionis bonorum, *l. cit. pr.* Princeps quoque & fiscus rem, quam communem cum aliquo habent, illò, si eam emere noluerit, invito vendere possunt, *l. Multum 2. C. de Commun. rerum alienat.* quod speciali illorum favore est constitutum &c.

REGULA XXX.

In Obscuris Minimum est sequendum.

SUMMARIUM.

1. Obscurum est, quod intelligi non potest.
2. Sensus & ratio Regulae:
3. Qua in humanis legibus:
4. In contractibus, & promissionibus gratuitis,
5. Testamentis legatis ac votis,
6. Regulariter, non semper:
7. In sententiis & arbitriis
8. In delictis procedit.
9. Imò & in penis.
10. A Regula exceptiones.

1. Obscurum est, quod intelligi non potest; quòd disponentis intentio neque ex ipsius statuti aut alterius dispositionis, aut hanc antecedentium aut subsequendum verborum tenore: neque ex eo, quòd actum vel receptum usu: neque ex circumstantiis aliis perspicuum sit, aut verisimiliter colligatur.

2. Quare proposita eique consona Regula Civilis 9. sensus est, Quando statuentis aut aliter disponentis intentio ac voluntas neque ex ipsius dispositionis tenore,

neque ex verbis ei promissis aut subjectis, neque ex eo quòd actum est, neque ex stylo vel consuetudine loci, neque ex aliis circumstantiis perspicue apparet, aut verisimiliter colligatur, tum demum sequimur, quòd est minimum. Quem Regulae sensum à vero non aberrare, patet ex Regula 34. ab Ulpiano tradita in Pandectis, Semper in stipulationibus & in ceteris contractibus id sequimur, quòd actum est: aut si non appareat, quòd actum est, erit consequens; ut id sequamur, quòd in regione, in qua actum est, frequentatur. Quid ergo, si neque regionis mos appareat, quia varius fuit? ad id, quòd minimum est, redigenda summa est.

Ratio est; quia jura proniora sunt ad liberandum quam obligandum, ad obligationem minuendam quam augendam, *l. Arrianus 47. ff. de O. & A.* & propterea, ne quis facile ultra disponentis mentem gravetur debitoque & justo amplius cogatur praestare, in obscuris ad id, quòd minimum est, debitorem obligandum judicantur: idque minimo periculo erroris; quòd, cum minimum maximo semper insit: maximum verò à minimo semper distet, disponentis voluntate minimum comprehendi; ac proinde de eo actum esse, certum: non etiam certum sit, de maximo actum.

Atque subsidiariae huic Regulae locus imprimis est in legibus humanis; ut, cum propter obscuritatem indigent interpretatione, praerudior mitiorem liceat amplecti, *arg. l. Arrianus cit. & Contra eum, qui legem potuit dicere apertius, interpretatio fieri, secundum Reg. 57. hic, Salas Lib. 10. de LL. f. 2. & Strein, in hanc Reg. num. 2.*

Secundò in contractibus & promissionibus gratuitis; ut, si servi venditor simpliciter dixerit eum peculiarem, sufficiat, si vel minimum habeat peculium, *l. Si*

G g g g 2 quod ven-

quod venditor 18. §. fin. ff. de Edili. Edict. & qui in singulos annos duas scaphas tritici promittit, non ad optimi, sed ad cuiuslibet, veri tamen & mensurati tritici præstationem teneatur, l. Fideiussorem 52. ff. Mandati. Simili modo, si quis Ecclesiæ S. Viti M. canonicis singulis annuatim decem vini amphoras promittit, in dubio eius promissio spectasse intelligitur illorum numerum præsentem; ut isto cum tempore aucto nihil præstare teneatur iis, qui accesserunt, Innocentius in c. Literas 39. de Rescript. Peckius hic n. 3.

At, licet hoc in quantitate & numero procedat, ei tamen locus non est, quando ex contractu species aut speciei æquipollentia, ut artefacta, debentur; cum, si talia obscure expressa sint, non minimum, sed mediocriter v.g. fundus, sella, vas, nec optima nec pessima, sint præstanda, l. Si quis argentum 35. C. de Donat. Idem ferè est, si expressum sit genus, v.g. homo, equus, bos; nisi genus esset tale; ut ad aliquid prorsus inutile, ut in animali ad muscam, descendi posset; nam tale respiciens contractus est nullus, arg. l. Cum post 69. §. 4. ff. de Jure dot. Dynus hic num. 7.

5. Tertio in testamentis, legatis, votis; ut si, quæ quantitas relicta sit, omnibus ponderatis conjici nequeat, quantitas minima debeatur, l. Nummis 75. ff. de Legat. 3. & c. Ex parte 18. de Consensibus: & si defunctus alicui legarit dimidium ejus partis, quæ uni ex hæredibus est obventura, legatarius dimidium ejus, quæ minima est, consequatur, l. Si ita 43. §. 1. ff. de Legat. 2.

Neque obstat; quòd, si ususfructus pars legetur, & quotam testator legare voluerit, non exprimat, non minima sed dimidia relicta intelligatur, l. Etiam 43. ff. de Usufruct. quia Regula de minimo præstando prodita est in subsidium

declarationis aliunde deficientis: tali autem casu testatoris voluntatem satis declarat vocabulum pars; cum nomine partis alicujus totius, si aliud non exprimat, dimidiam venire, Juris sit explorati, l. Nomen 164. §. 1. in fine ff. de V. S.

6. Sed, licet cum quantitas, numerus aut æquipollens legatur, debeatur minimum, aliter tamen res se habet, cum genus, in quo ad inutile descendi non potest, uti & cum species obscure sunt relicta; hoc enim casu mediocriter sive medium debetur, l. Legato 37. ff. de Legat. 1. ubi homine legato in dubio id observandum asseritur; ne optimus vel pessimus accipiatur; quod etiam desumitur ex l. Qui lancem 31. & l. Tertia 38. §. 2. ff. de Aure & arg. leg. quorum locorum priorum lancem legasset is, qui tres inæqualis magnitudinis & æstimationis habebat, hæres ad magnitudinis & æstimationis mediæ; posteriori, cum signum sive statuum templo, in quo aureæ argenteæ & æræ erant, defunctus legasset, hæres ad argenteam potius quàm auream vel æream obligatur. Casu, quò duo tantum supererant, in dubio minus præstandum foret, l. Cum Servus 39. §. 6. ff. de Legat. 1. Dynus hic n. 8. & 9.

Neque, cum ultima voluntate relicta obscura sunt, nullum Regulæ locum esse, persuadet Authoritas Alexandri Imp. l. Voluntatis 7. C. de Fideicommiss. voluntatis defuncti quæstionem in æstimatione judicis esse, rescribentis; quia istius quidem est æstimare, quid verisimile sit. Quando autem neque ex eo, quod actum est, neque ex dispositionis tenore, neque ex usu & loci consuetudine aut similibus indicis verisimile quid deprehendit, secundum Regulam etiam ipse regulariter minimum, aliquando mediocriter adjudicabit.

7. Quarto Regulæ locus est in sententiis &

tiis; ut, si tres iudices vel arbitri inter se dissentientes reum ad summam diversas, v.g. unus ad quina, alius ad dena & rursus alius ad quindena auctori condemnarent, reus quina exhibendo satisfaciatur, *l. Inter pares, 38. ff. de Re iudic. §. c. 1. V. Licet, de Arbitris in 6.* Quod si ex tribus iudicibus vel arbitris duo ad dena & unus ad quina duntaxat reum condemnassent, reus ad dena teneretur, *c. 1. cit. pr.* quod hoc casu minimè obscurum, sed clarum sit, majorem iudicum in idem conspirantium partem prevalere, *l. Diem 27. §. 1. ibi, Si major pars consentiat, ei stabitur, ff. de Arbitris, secundum Regulam c. 1. de His, qua à majori §. l. Quod major 19. ff. ad Municipial. Franc. in c. 1. cit. not. 1.*

8. Quintò in delictis; cum in dubio, an quis delictum commiserit, quod minimum est, obtineat: & reus non condemnatur, sed absoluitur *l. Absentem 5. pr. ff. de Penis.* Simili modò, cum delicti incerta est qualitas, v.g. an is, à quo vim illatam constat, eam armatus vel sine armis intulerit, posterius hoc accipitur, *l. Si Praefes 33. ff. de Poenis, Dynus l. cit. n. 17.*

Neque contra hoc facit; quòd, cum hominem à Titio esse occisum, non etiam occidendi animus apparet, iste, si abfuisse non probetur, intelligatur adfuisse, *l. 1. C. ad L. Cornel. de Sicar. & cum eadem à pluribus commissam constat, & à quo lethale vulnus inflictum sit, ignoratur, eò quod majus est assumptò, quasi occiderint omnes, teneantur, l. Item Mela. 11. §. 2. ff. ad L. Aquil. quia utrumque hoc speciali ratione receptum est, Prius; quia ipsa facti atrocitas delinquendi animus, si abfuisse non probetur, indicat adfuisse; cum in dubio, quod egit, agere voluisse; si aliud non ostendatur, quilibet intelligatur: & animus praesumatur talis, qualem facta demonstrant, *l.**

1. cit. §. c. Dilecti 52. de Appellat. Mascard. de Probat. conclus. 95. n. 1. & Farinacius Prax. Criminal. q. 89. n. 76. Posterius verò; quia, cum delictum & delicti qualitas certa, & in delinquendi actu pluribus deprehensis, quis delictum consummavit, ignoratur, Jure omnes puniuntur; nam eò, ipso; quòd deprehensum omnes sint in actu delinquendi, omnes deprehensi sunt in culpa. Unde, ne pessimò publico delictum maneat impunitum, contra Regulam *l. Ita vulneratus 51. §. 2. ff. ad L. Aquil.* omnes puniuntur, Dynus *cit. n. 19.*

9. Sextò, in poenis; cum enim in his benignior interpretatio sit facienda, *Reg. 138. §. fin. ff. §. 49. in 6.* reus in dubio afficiendus est minori, *l. Respicendum 11. §. l. Interpretatione 42. ff. de Poenis;* ut condemnatio ad capitalem de exilio, condemnatio ad amputationem manus de sinistra accipitur, Peckius ad hanc *Reg. n. 5. & Ludwell in l. Semper 9. ff. hanc Rubr. n. 11.*

10. Non desiderantur, praeter supra allegatos, alii textus, qui Regulæ opponantur. Sed fere ab ista sunt exceptiones; cum, sicut regulariter in obscuris minimum & aliquando medium, sic ex speciali ratione aliquando maximum seu gravissimum debeat; cum in obligationibus, quibus dies non apponitur, statim sive praesenti debeat, *l. In omnibus 14. ff. hic & dotalis stipulatio interpretationem recipiat uxori utiliore, l. Nuptura 57. ff. de Jure dotium.* Imò aliquando perinde ut, si nihil actum esset, nihil debetur: ut cum res legata simul & persona legatarii, aut etiam hæc sola obscura & incerta est, *l. Si fuerit 10. §. l. Si quis 27. ff. de Reb. dub. Peckius hic n. 12. ad 3.*

¶ (O) ¶

G g g g ; REGU-

REGULA XXXI.

*Eum, qui certus est, certiorari
ulterius non oportet.*

1. Certus est, qui rei scientiam habet.
2. Sensus & ratio Regula:
3. Quae declaratur exemplis.
4. Et militat, cum certioratio ad rei notitiam:
5. Non etiam, cum ad alium finem desideratur.

1. **C**ertus propriè dicitur is, qui rei vel negotii non qualemcumque, sed indubitam notitiam sive scientiam habet: sive dein eam habeat ex inspectione oculari, sive ex instrumento aliquo authentico, sive ex fide dignorum hominum literis aut relatione, Tiraquell. de Retract. §. 36. gloss. 2. an. 30. & Peckius hinc. 1.

2. Regulae itaque sensus est, *Qui de re vel negotio aliquo notitiam indubitam sive scientiam habet, aut certè habere deberet, ut ejus notitiam habeat, eum per denuntiationem vel insinuationem aliam admonere, aut reddere certiorum non est necesse.* Ratio est; quia, sicut natura, sic etiam lex nihil facit aut exigit frustra, can. 1. dist. 19. frustra autem denuntiatio & insinuatio exigitur; ut rei jam plenè cognitæ notitia habeatur.

3. Quare, si fundi vel equi emptorem, quod ille obnoxius servituti, iste mordax aut calcitrosus sit, certè scire constet, eum de his à venditore admoneri, nec essarium non est; ut evitet actionem ex empto ad interesse vel redhibitionem aut quantò minoris, cui obnoxius esset, si fundum obnoxium servituti aut equum vitiosum esse, sciens venditor emptorem celasset ignoratam, l. 1. ff. de Edict.

Edict. Simili modò Prælato inferiori aliquem, à quo Romanum iter arreptum scivit, excommunicanti ad sententiæ suæ defensionem non prodest; quòd de appellatione, ab eo ad sedem Apostolicam interposita, non fuerit certioratus; cum ejus itineris ingressum habere vim appellationis ad sedem illam, c. Si duobus 7. c. Meminimus J. de Appellat. & c. Unico. de Cleric. peregrinante, & sententiam excommunicationis post ejus modi appellationem prolatam Jure non subfiteri, sciverit, aut saltem debuerit scire, c. Ad presentiam 16. de Appellat. & c. Per tuas 40. v. Nos igitur, de Sent. excom. Ei etiam, qui legem violat ad transgressionis excusationem non proficit, si de ea se non admonitum præterdat; cum, si illa Positivi ex promulgatione: si Naturalis Juris sit, ipso rationis lumine manifestante eam sciverit aut saltem debuerit scire, Barbola ad hanc Reg. v. 1. & Strein. n. 2. pr.

Dixi, *Ve notitiam habeat*; quia, si certioratio non præcisè ad rei notitiam, sed ex Juris dispositione ad actûs formam sive ad ejus iustitiam, valorem aut firmitatem exigatur, de re certum novà denuntiatione aliàve intimatione certiorum reddi, est necesse, ut cum Alexandro Lib. 6. Consil. 27. Dyno hinc. 4. & aliis notat sit. Barbolan. 1. & ex multis instantiis liquet.

Jure enim Ecclesiastico canonicus capitularis, de Ecclesiæ vacatione & futura electione aliunde certus, de ejus die reddendus certior, ad eamque vocandus est; ne ad ipsius quasi contempti instantiam electio rescindatur, c. Quod sicut 28. de Elect. Eòdem Jure trina monitio necessaria est, ut quis clericali privilegio exuatur, c. Contingit 45. de Sent. excom. & Clement. 1. de Vita & honest. aut fidelium communionem per sententiam privetur, c.

Sacro

Sacro 38. de Sent. excom. junctō c. Constitucionem 10 ibidem in 6. uique clericus concubinarius fructuum ex beneficiis provenientium tertiam partem, prævia una: & iterata monitio necessaria est; ut omnes fructus ipso Jure amittat. Ipsi verò beneficiis non privatur, nisi tertio monitus non respiciat, ex decreto Tridentini Sess 25. cap. 14. de Reformat.

Jure etiam Imperiali venditor, litis super re vendita emptori moræ conscius, huic de eviçione non tenetur, nisi ab eo fuerit laudatus, sive de lite admonitus; ut causam defendat, l. Emptor 3. §. l. Empti 21. C. de Eviccionibus. Iudex, licet causæ inter aliquos controversæ merita plenè habeat perspecta, super ea tamen pronuntiare, nisi imploratus & partium allegationibus auditis non potest, l. Dies 4. §. 8. ff. de Damno infecto §. Auth. Qui semel. C. Quomodo & quando jud. Item contra reum contumaciter absentem nequit procedere, nisi ad instantiam actoris trina, vel tribus æquivalente unâ, citatione peremptoriâ in jus fuerit vocatus, l. Concumatia 53. ff. de Re judic. l. Ad peremptorium 68. §. ff. de Judiciis §. Auth. cit. Invalidum quoque est testamentum; præsentibus, testatorem videntibus & negotii, quod geritur, probè gnaris cum omnia solennitate conditum: nisi testes fuerint rogati seu vocati & requisiti, ut actui intersint, l. Heredes 21. §. 2. ff. Qui testam. fac. poss. §. Auth. Rogati C. de Testibus &c.

Ratio omnium est; quia relatis & aliis quibusdam casibus certioratio, sive denuntiatio & monitio non tam ad veram de re notitiam habendam, quàm ad justum, validum aut firmum actum seu processum formam Jure sunt præscriptæ.

☞ (O) ☞

REGULA XXXII.

Non licet Actori, quod Reo licitum non existit.

SUMMARIUM.

1. Regula non omnia, quæ reo permittuntur, adstruit actori.
2. Verus ejus sensus ratioque.
3. Et exempla.
4. Plura, reo permittuntur, actori.
5. Et quadam, huic permittuntur, reo denegantur.

EAdem Regula prodita est Jure Civili: cujus 41. Vipianus ait. Non debet actori licere, quod reo non permittitur.

Sensus utriusque Glossa Clement. Sæpe 2. V. Voluerit, de V. S. & Philip. Matth. in Reg. Non debet cit. pr. hunc reddunt, Æqualitas servanda est inter litigantes; ut quod reo non licet, non permittatur actori; & vice versa non permittatur reo, quod non licet ualori; quia sunt correlativa, de quorum uno dispositum de altero quoque est exaudiendum, arg. l. fin. C. de Indicta vid. toll. Sed perperam; cum id neutrà Regulâ asseratur: sed solummodo indicetur, actorem non debere esse melioris conditionis, quàm sit reus: & verus utriusque.

Sensus sit, Nihil in judicio ad intentionem suam promovendam permittitur actori, quod non etiam reo ad exceptionem suam fundandam sit permittitur. Rationis vice est Regula, Favorabiliores rei potius, quàm actores habentur: quæ est 125. in Pandectis.

Quare secundum meliorem hunc Regulæ utriusque sensum, si Cajus, à Titio coram delegato judice conventus, appel-

appellare non permittatur; quòd causa commissà sit cum clausula, *Ve appellatione remotà* procedat, nec Titii à Cajo coram eodem iudice reconventi appellationi est deferendum, *c. fin. de Mutuis petit.* Si actor impetret; ut reus in causa civili conventus personaliter comparere teneatur, ita comparere etiam ipse debet, Decius in *Reg. Non debet cit. n. 2.* Sicut post litem contestatam procuratorem mutare & litem in se transferre, nisi causà cognitã, reus, *l. Post litem 17. sic nec actor potest, l. Qua omnia 25. ff. de Procurat.* Sicut ob metum subornationis reus, sic & actor, post publicatas aut aliter cognitatas testium ante receptorum depositiones novos testes producere, non permittitur, *Novell. 90. cap. 4.*

4 Quin non pauca, reo Jure permessa, actori denegantur; nam excommunicationis exceptionem actori reus, non vicissim huic ille opponit, *c. Intelleximus 7. de Judiciis*: actoris à iudicio absentis contumacia gravis, quàm rei, punitur, *Glossa hic & in c. Causam 3. V. Ad domum, de Dolo & contum.* soli reo competunt reculatoriæ & deliberatoriæ etiam dilaciones, *Ausb. Offeratur C. de Litis contest.* dilaciones probatoriæ plures ipsi, quàm actori conceduntur, *l. fin. ff. de Feriis*: actori ad fundandam intentionem suam instrumenta edere reus non tenetur, *l. Qui accusare 4.* licet huic ad exceptionem suam probandam ea concedere aliquando cogatur actor, *l. Non est novum 4. C. de Edendo*: deficiente plenâ probatione iuramentum suppletorium in civilibus plerumque reo potius defertur, quàm actori, *c. & §. fin. de Jurjurando*: in criminalibus autem causis reo de crimine diffimato aut graviter suspecto saepe defertur iuramentum purgationis, *c. 1. & c. Si quis 2. & c. de Pur-*

gat. Canon. licet actor in vim probationis jurare nunquam permittatur, Clarus §. *fin. q. 63. n. 4.* cum sunt partium jura obscura, favendum reo potius est, quàm actori, *Regula est 1. in 6.* actore non probante reus, licet nihil præstiterit, est absolvendus, *c. & §. fin. cit. &c.*

Sed, ut hoc ita, perpetuum tamen non est; cum specialis ratio à Regula recessum, & actori aliquando permittat, quod non conceditur reo: veluti cum iste plures ordinarios iudices habet; eò enim casu electio est actoris, ad quem ex iis vult iudicem trahentis reum, *l. Nemo 4. C. de Jurisdic. & l. fin. C. Vbi in rem actio*; ne, si electio competeret reo, facile luderet & circumduceret actorem: reus ab actore per rescriptum Principis extra suum forum ad extraordinarium iudicem trahi, *l. Si quando 2. C. de Dilar. non vicissim à reo actor potest, Novell. 69. cap. 1.* ne huic intentionis suæ probatio extra territorium difficilior euadat: accusator de crimine publico à reo, de eo non purgato, reaccusari de ejusmodi crimine non potest, *l. Neganda 19. C. Qui accus. non pos.* quòd non per relationem criminum, sed innocentiam suam reum oporteat purgari, *l. Si quis reus 5. pr. ff. de Publ. jud. Salycet. in l. Neganda cit.* ejusdem actoris, non rei, est declarando tollere libelli obscuritatem, *l. Inter 83. §. 1. ff. de V. O.* quòd intentionem suam melius quàm actor habeat perspectam: die feriato novum opus nuntiare actor, non etiam reus nuntiationis remissionem petere potest, *l. 1. §. 4. ff. de Novi oper. nunt.* quòd in nuntiationis mora majus periculum sit, quàm in dilacione remissionis: actor, si res sibi vi ablatas legitime probarit, super earum quantitate prævia iudicis taxatione jurare permittitur, *c. fin. de Jis, qua vi metusve caus.* quòd non

non conceditur reo; quia illata & probata violentia hunc odiosum & actorem favorabilem reddit. In causis Matrimonii, libertatis, dotis vel testamenti eam sustinens actor, quam reus favorabilior est; *can. si quis 33. q. 1. & c. fin. de Sent. & re judic.* speciali illarum favore actori patrocinante &c.

REGULA XXXIII.

Mutare quis Consilium non potest in alterius detrimentum.

SUMMARIUM.

1. Declaratio hæc est Regulæ Quod semel 21.
2. Sensus ejus & ratio.
3. Aliis non damnosa & iniuriosa consilii mutatio licita.
4. Et aliquando laudabilis est.

1. Simillima huic est supra tradita Regula, Quod semel 21. cui præsens, eique consona Regula 75. Civilis superaddit declarationem; ut Præsentis illi conjunctæ sensus sit, *Quod semel placuit, displicere & consilium quis mutare non potest, in alterius injuriam vel detrimentum*: sicut contingeret, si scrutiniò jam publicatò electores, *c. Publicatò 57. de Elect.* aut, præsentatione Episcopo vel alteri superiori jam oblatà, patronus Ecclesiasticus, *c. Cùm autem 24. v. At verò, de Jure patr.* aut etiam laicus eum, quem primò præsentavit, excludendo variarent, *c. cit. pr.* si judex sententiam definitivam jam publicatam revocaret, *l. Judex 55. ff. de Re judic.* & aliis casibus, quibus ejus, quod semel placuit, displicentia & mutatio consilii fraudiac detrimento foret, Dynus & Barbo-

sa ad hanc Reg. uterque n. 2. Hujusmodi autem casibus inhibita mutationis consilii ratio est; quia alteri per alterum iniquam conditionem non inferendam, *Regula 74. in Pandectis*; & præceptum est Juris Naturalis, alterum non lædendum & jus suum cuique tribuendum, *l. Justitia 10. § 1. ff. & §. Juris 3. Inst. de J. & J.*

Quando verò consilii mutatio cum alterius injuria & damno injusto conjuncta non est, eam nec Jus nec ratio moratur; sicut in Capitularibus, à postulatione superiori necdum oblatà recedendò, & patrono laico, primò à se præsentato secundum superaddendò, variare, si velint, Jure permissum est, *c. Bone 4. de Posul. Pralat. & c. Cùm autem cit. pr.* quod hæc eorum variatione neque postulati vel præsentati, neque superioris jus lædatur. Simili modò procurator ad negotia, re adhuc integra, *l. Mandatum 15. ff. Mandati*, & ad litem in judicio prosequendam constitutus, ante litis contestationem à constituente liberè revocatur, *c. Quamvis 2. de Procurat. in 6. &* in judicio, per contestationem illam nondum constituto, ab actore libellus exhibitus licitè mutatur & emendatur, *l. Edicta 3. c. de Edendo*; quia ejusmodi revocatio mutatioque vel emendatio nemini præjudiciosa est vel damnosa; cum, si quæ earum occasione factæ sunt, expensæ ante omnia refundantur.

Quin consilii mutatio, cum publicum vel privatum Jus non resistit, quandoque laudabilis est ac sapientis, *l. Nonnunquam 8. ff. de Bonor. collat.* præsertim, si illud noxiosum minùve utile appareat; cum enim consilia aptanda sint rebus, *Seneca Epistol. 71.* his temporum cursu mutatis, à semel approbatis recedere & nova consilia inire quandoque poscit necessitas aut utilitas suadet, *c. fin. pr. de Sent. excom. in 6.* utique enim, ut

H h h h

Lucianus

Lucianus ait, *Melius est, è medio cursu recurrere, quàm malè currere*, Tholol. Lib. 2. de Republica cap. 8. n. 4.

REGVLA XXXIV.

Generi per Speciem derogatur.

SUMMARIUM.

1. Genus & Species aliter à Philosophis :
2. Aliter à JCT.^o accipiuntur.
3. Sensus & ratio Regulae.
4. In Jure scripto & non scripto :
5. In rescriptis ac mandatis Principum :
6. In privilegiis :
7. In contractibus,
8. Testamentis ac legatis,
9. Et in omni alia materia militantis.
10. Species non semper explicat genus,
11. Neque isti inesse semper intelligitur :
12. Si genus & Species Juridicè sumantur.

1. **G**eneris & Speciei nomina non eandem significationem apud JCT.^o quam apud Dialecticos habent ; apud hos enim sunt universalis, quæ pluribus : illud quidem specie, ut animal homini, equo, leoni : ista verò solò numero differentibus, ut homo Titio, Cajo, Sempronio &c. conveniunt, de iisque prædicantur. Juris Consultis verò genus est omne id, quod plura sub se continet ; ut non solum homo, equus, leo & quævis species Dialecticæ : sed etiam vestis, triticum, lex, rescriptum, mandatum & similia sunt. Species autem est quodvis individuum sive singulare ex pluribus sub genere comprehensis, l. *Mutuuum* 2. pr. ff. de Reb. credit. § 1. *In nave* 31. ff. *Locati*, *Canisius ad hanc Reg. pr.* & *Strein. n. 1.*

2. Quia à JCT.^o Speciei nomine etiam venit, quod minus est commune &

pauciora quàm alterum comprehendit : ut, si duæ sint leges generales, ea quæ minus generalis est, species respectu alterius latius patentis : & si duæ sint leges speciales, ea quæ specialior est, attendatur, & species : altera verò ipsius respectu genus reputentur, *Dynus ad hanc Reg. n. 8.* & *Decius in Reg. 80. Pandect. n. 1.*

Quare propositæ & si quæ alia, latè patentis Regulae sensus est, *Quando dispositiones contrariae sunt, ea quæ specialis est, generalis derogat quoad id, in quo ea contraria est : sive dein specialis generali antiquior sit, sive recentior aut coeva.* Idem est de duabus dispositionibus generalibus & specialibus, quarum una plura, altera pauciora comprehendit ; ferè enim minus generalis, generaliori & magis specialis ei derogat, quæ est minus specialis. Quò sensu etiam exaudienda est Regula, *In toto jure generi per speciem derogatur : & illud potissimum est, quod in speciem est directum :* quæ est *80. in Pandectis, Dynus, Decius l. cit.* & *Tusculus Practic. V. Genus conclus. 36. n. 30.*

Ratio est ; quia, cum duæ dispositiones sibi adversantur, reducendæ in concordiam sunt, si commodè possunt, c. *Cum expediat* 29. pr. de *Elect. in 6. § 1. Precipimus* 32. in fine, C. de *Appellat.* dispositiones autem generalis & specialis sibi adversantes in concordiam reduci commodè possunt, si sequamur interpretationem Juris, generali dispositioni per specialem aliquid, id scilicet, in quo hæc illi contraria est, detrahi sive ab ea eximi declarantis, *Reg. cit.* Confirmatur ; quia genus representat Regulam : Species autem Regulae oppositam Exceptionem. Cum ergo exceptio deroget Regulae : non ista exceptioni, generi quidem per speciem, non speciei per genus derogatio fiet.

Atque sic explicata firmataque Regula omnes pene dispositiones pervagatur ; spe-

etur; specialis enim dispositio generali derogat. Primo in legibus ac statutis; cum, si aliquid generali omnibus inhibitum, speciali constitutione quibusdam permittatur, posteriori hac illi derogetur, *c. 1. de Constitut. in 6.*

Secundo, in consuetudine; sic enim specialis certi loci, *vg. Ecclesia Mediolanensis, Sabbatho olim, & hodie quatuor primis Quadragesimæ diebus jejunium non observantis, consuetudo non male retinetur; quod eâ generali cæterarum Ecclesiarum mori sit derogatum, *can. Illa 11. v. At ego. dist. 12. & c. fin. de Consuetud. Tulehus conclus. cit. n. 41.**

5. Tertio, in rescriptis ac mandatis Principum; nam Legati à latere jurisdictioni; ad totam suæ legationis provinciam vilitarum Apostolicarum se extendenti, derogat specialis causæ delegatio Episcopo illiusve Officiali aut alteri facta; ut in tali causa se intromittere legatus non possit, *c. Studuisti 2. de Offic. Legati.* Simili modo, si litigantiû unus liberè provocandi facultatem generaliter; alter verò in specie; ut de causa *Appellatione remota*, cognoscatur, impetrarit, posterior hoc rescriptum derogat priori, *c. 1. de Rescript.* quamvis, cum rescripto Juri quaesito tertii derogatur, clausulâ derogatoriâ sit opus; quòd, si non exprimat, alterius Juri derogare voluisse, Princeps non præsumatur, *c. Super eo 15. de Offic. deleg. ubi Glossa V. Intentionis & Panor. mit. n. 2.*

6. Quarto, in privilegiis; sic enim privilegio exigendi decimas à quocunque parochiano, vel quemcunque morosum debitorem incarcerandi concessio uni derogat privilegium immunitatis à decimis solvendis ex certo prædio vel ab incarcerationatione propter debitum Civile; quòd illud generale sit, hoc speciale, *Covarvias in Reg. Possessor p. 2. §. 2. n.*

4. & Suarez *Lib. 8. de LL. cap. 23. n. 5. et si*, quando speciali privilegio Juri alteri quaesito derogatur, clausula derogatoria necessaria sit, ut paulò ante est dictum.

7. Quinto in contractibus; cum, si venditò prædiò contrahentes beneficio *l. Rem majoris 2. C. de Rescind. vendit.* expressè renunciarint; & deinde dolum malum omnem removerint, ex hac clausula ad rescissionem contractûs, quasi ob læsionem ultra dimidium dolo obtentus sit, agere contrahentium neutri liceat; quòd specialiter excepta generali clausula non contineantur, *l. Doli 119. ff. de V. O. cit. Dynus n. 12. & Decius n. 14.*

8. Sexto in legatis; cum, si uni in genere penus; alteri specialiter vinum; uni vestimenta, alteri vestis muliebris separatim legata sint, neque vinum ad eum, cui penus; neque vestis muliebris ad eum, cui vestimenta legata sunt, sed ad alterum utroque casu pertineant, *l. 1. pr. ff. de Auro & arg. leg. licet aliâs vestis muliebris sub vestimento, & vinum sub penu tanquam genere suo contineantur, l. Qui penum 3. ff. de legat. 3.* Sed hoc ita, si genus & species diversis; non etiam, si legata sint eidem; hoc enim casu species generi non detraheret, sed id augetur, *l. Quasitum 12. §. ff. de Fund. instr. leg. cit. Dynus n. 2. & Decius n. 15.*

Septimo, in ultimis voluntatibus aliis, *vg. in substitutionibus; casu enim, quò testator patrem & filium in una parte in solidum instituit, eosque sibi invicem substituit; deinde, alios hæredes in reliquis partibus instituens, tandem post assem completum addat, Hos omnes invicem substituo.* Hoc, inquam, casu generalis hæc substitutio ad patrem & filium, sibi invicem specialiter substitutos, non porrigetur, *l. Covaredi 41. §. 5. ff. de Vulg. & pupill. subst. cit. Dynus n. 12. & Decius n. 13.* Vbi tamen hoc in eadem; non

Hhhh 2

dem; non

dem: non etiam in diversa substitutione obtinere monent, ducti *l. fin. ff. ad S. C. Trebell.*

9. Ostendit demum in omni alia materia, quando dispositio specialis contraria est generali, Tullius *conclus. cit. n. 5.* & Peckius *post n. 1. pr.*

Neque Regulam convellit; quod creditor, cui debitoris bona generaliter obligata sunt, potior habeatur eo, cui postea ex bonis illis prædium aut alia res specialiter sunt obligata, *l. Generaliter 2. ff. & l. Si generaliter 6. C. Qui potior in pign. hab.* quia generalis hypotheca potior est; cum in potestate debitoris non sit per hypothecam specialem supervenientem deteriorem reddere conditionem creditoris, cui ipsius bona obligata jam sunt per hypothecam generalem; cum utique iniquum sit, jus quæsitum creditori, sine suo facto diminui vel auferri. Quare, præsentem Regulam de jure nondum alicui quæsito exaudiendam, monet *cit. Canisius in fine.*

10. Magis in speciem ei adversatur; quod speciales casus ac species, legibus & constitutionibus subjectæ, earum generalitatem explicent: non ei detrahant, *l. Item apud Labeonem 15. §. 25. ff. de Injuriis*; quia hoc verum solummodo est, quando gratiâ declarandi generis species subjiciuntur, aut genus in sola specie subjecta verificatur: non etiam, quando verificatur in pluribus, aut de utroque disposita contraria & impossibilia sunt.

11. Speciosum etiam magis, quam solidum est; quod species generi inest, *l. Semper 19. ff. hie*, & dispositum de genere in omni ejus specie omnique individuo verificetur, *l. Sicut 7. §. 1. ff. Quod cuiusque universis*. ac proinde species generi nequeat derogare; quâ enim ratione derogabit ac detrahatur generi, si in eo continetur? Sed, ut dictum, speciosum dup-

taxat est; quia generi species quidem inest, quando speciei non est facta mentio: non etiam, si illius antè & post mentio sit facta: de eâque dispositum adversetur ei, quod de genere dispositum est, Ferrar. *ad l. Semper cit.* & Peckius *hic n. 4. ad 5.*

Cætera, quæ Regulæ opponuntur, 12. vel sunt causæ ab ea specialiter exceptæ: vel accipienda sunt de genere & specie sumpta in sensu declarativo, in quo species generi semper inest: non de iis Juridicè acceptis; hoc enim sensu sumpta species à genere eximi potest, quando aliud de specie, quàm de genere dispositum reperitur.

REGULA XXXV.

Plus semper in se continet, quod est Minus.

SUMMARIUM.

1. Plus altero aliquid diversimode.
2. Et hic dicitur, quod tale est in quantitate.
3. Sensus & ratio Regulae.
4. Qua latè admodum patet.
5. Et procedit, cum minus ad plus se, ut pars.
6. Non, cum se ut species separat a habet.
7. Regula objecta quatuor instantiæ legales.
8. Cum ea commodè conciliantur.

PLus minùve altero aliquid in diversis rebus esse potest. In quantitate, ut summa sive numerus pondus aut mensura major respectu minoris, *l. 1. §. 4. ff. de V. O.* In quovis toto, quod plus est respectu suæ partis; cum in toto partem contineri dubium non sit

non sit, *Reg. 113. ff. § 80. in 6.* In qualitate, quomodo ærea aut marmorea statua plus quam æs aut marmor, lana tinctoria plus quam pura, obligatio pura plus est quam conditionalis, *s. Fidejussores 5. V. Item si, Instit. de Fidejuss.* In rebus genere ac specie diversis; sic enim plus est votum Religionis, quam Peregrinationis transmarinæ, *c. Scriptura 4. de Voto, & jurisdictio respiciens causas Capitales, quam Criminales inferiores aut merè Civiles causas spectans: de quibus Regula Licet 53. infra procedit, Barbosa hic n. 1.*

2. Quantitate minus, ut respectu denarii quinaris est, considerari potest vel per se, ut est quantitas sive numerus à majori summa separatus: vel, ut est pars numeri majoris & hunc integraliter constituit. Præfens Regula procedit de eo, quod plus aut minus altero est quantitate, ut v.g. totum quantitativum integraliter sumptum, & ejus pars, *Glossa ad hanc Reg. in fine & Barbosa n. 1. in fine.*

3. Quare ejus sensus est, *Quantitas major semper in se continet id, quod quantitas minor: quò sensu in eo, quod majus est, semper inesse & minus dicitur Reg. In eo 110. pr. in Pandectis.* Ratio evidens est; quia quantitas sive summa major est totum quoddam numericum, & quantitas sive summa minor est ejus pars: in toto autem partem contineri ex ipsis terminis liquet, & omni demonstratione clariùs dicitur lumen & ratio Naturalis, *Jafon in §. 4. cit. n. 4. & Menoch. de Arbitr. casu 38. n. 6. & cit. Barbosa n. 3. Unde*

4. Regula in contractibus & ultimis voluntatibus, in sententiis judicialibus & pronuntiationibus arbitratorum, in testificationibus aliisque probationibus & quavis alia dispositione: nec solum in summis pecuniariis, sed in aliis quoque rebus fungibilibus procedit, ut verbò *Semper*

indicatur & latè ostendit *Peckius hic n. 2.* sic enim, si Titio vicena interroganti Cæjus dena responderit, obligatio in decem contracta est; quod dena vicenis infint, *l. 1. §. 4. cit.* Si legare volens quinquaginta scribat centum, valebit legatum in quinquaginta, *arg. §. cit.* Cùm de poenitentia injungenda controversiâ inter iudices ortâ aliqui quinque, alii septem, & quidam decem annis duraturam probarent, quinquenniò peragendam Julius Papa imposuit *can. Si quis dederit 24. q. 1.* Si trium judicum vel arbitratorum unus in quina, alter in dena, tertius in quindena reum condemnet, quina tantum debentur, *l. Inter pares 38. §. 1. ff. de Re judic. & c. 1. V. Licet, de Arbitr. in 6.* Si duorum tertium unus fundum à Titio 30. alter 20. saltem annis possessum deponant, probata erit possessio vicennalis, *Imola in c. Cùm oporteat 19. de Accusatis. Gaill. de Pignorat. observat. 18. n. 10.*

Ab hac Regula divertisse videri potest Bonifacius VIII. ei, cui de integra aut certi valoris præbenda provideri Papa mandat, de dimidia aut minoris valoris præbenda provideri non posse, rescribens *c. Cùm de non Sacerdotali 27. de Præb. & dignit. in 6.* At reipsa non divertit; quia propositæ Regulæ locus tantum est, quando minus se habet ut pars ejus, quod plus est: non etiam, quando plus & minus se habent, ut species separata ac distincta; præbenda autem integra ad dimidiam, & minoris valoris ad eam, quæ certi valoris majoris est, se habent ut species separata ac distincta, *Pirrhing ad Rubric. cit. n. 267.* Et, si Bonifacius à Regula divertisset, id factum esset ex ratione speciali; quia rescripta gratiæ ad beneficia stricta sunt interpretationis, *c. Quamvis 4. pr. de Præbend. & dignit. in 6.* neque in alio, quam expressum est, admittunt executionem, *c. cui de cit. in fine; ne excedantur manda-*

H h h h 3 ti fines:

ti fines: qui diligenter & exactè sunt custodiendi, c. *Dilecti* 22. de *Rescript.* & l. *Diligenter* §. pr. ff. *Mandati*, Vivianus in *Ration. c. cit.* & Barbosa in c. *Cui de cit.* num. 4.

7. Minus expeditæ sunt instantiæ & sanctiones Legales; cum secundum has Regula non procedat Primò in ultima voluntate, quâ institutus hæres quasdam hæreditatis partes agnoscere & alias referre non potest, l. *Sed etsi* 2. ff. de *Adquir. hered.* & si testamento scriptum sit, ut hæres in funus inlumerent centum aureos, minus insumere non licet, etsi amplius possit, l. *Cum in testamento* 202. ff. de *V. S.* Secundò in stipulationibus; cum, si stipulanti decem, promittantur quinque, stipulatio inutilis apertè reputetur, §. *Præterea* 5. *Instit. de Inutil. Stipul.* neque majoris roboris sit stipulatio de summa centum aureorum, clausorum marsupio vel in mensa expositorum, si ea summa minor reperiatur, l. *Si ita* 120. ff. de *V. O.* Tertiò in locatione etiam nihil agitur, si ædes locans stipuletur decem & conducentis quinque promittat, l. *Si decem* 52. ff. *Locati* Quartò in fideiussione; cum, si quis in majorem summam fidejubeat, quam debet principalis, neque ad summam ab isto debitam obligetur, l. *Gracè* 8. §. 7. ff. de *Fidejuss.*

8. Sed ista Regulam, licet concutiant, non evertunt. Primi quidem pars prior; quia hæredem quasdam partes hæreditatis, aliis repudiatis, adire leges non patiuntur; ne paganus sive, qui in castris non degit, neque sacramento militiæ tenetur, pro parte testatus, pro parte intestatus decedat, contra *Reg. Jus nostrum* 7. in *Pandect.* cum enim una eademque res diverso jure censeretur non debeat, l. *Eum qui* 23. pr. ff. de *Usucap.* etiam hæreditas, quæ est res individua, unam defuncti personam representans, fortitè non debet diversum

genus successionis, Decius in *Reg. Jus nostrum cit.* n. 2. Posterior; quia ideo, ne in funus minus insumatur, l. *Cum in testamento cit.* cautum est; quòd non satisfiat voluntati defuncti, ejusque supremæ & familiæ honori; cum ejusmodi sumptus consanguineorum & amicorum solatium potius, quàm defuncti animæ subsidium spectent.

Alterum, cum; quia §. *Præterea cit.* stipulationem inutilem duntaxat quoad quina, in quibus promissor stipulanti non est assensus: quoad quina autem, in quæ consentit uterque, eam validam, per l. 1. §. 4. *cit.* cum Duareno & Donello *ad l. cit.* censet Ludwell, in l. *In eo cit.* n. 3. tum verò; quòd, si stipulatio etiam quoad hæc esset nulla, ea, sicut & l. *Si ita cit.* rejecta stipulatio, talis fuisse dicenda esset propter defectum consensûs in stipulatore, non nisi dena vel centum aureorum summam stipulante; ac proinde in summam, si eâ, quæ in stipulatione expressa est, reperiatur minor, vel in quina duntaxat non consentiente, Duareno l. *cit.* & Pockius *hic* n. 6. ad 3. & 4.

Tertium; quia ex una l. *Si Decem cit.* quinquorum promissione ideo nihil actum est; quòd locator ædes suas ad utrum concedere non voluerit, nisi pro promissis decem: ex altera verò parte, contractus individui non valent pro parte, quando contrahentis voluntas est, ut non nisi in totum subsistant, l. *Quod si uno* 13. ff. de *In diem addit.* Alciatus *ad l. 1. cit.* §. 4. n. 32.

Postremum; quia imprimis §. 7. *cit.* lectio ambigua est; cum in eo particulam *Non dictioni Omnino*, cui subjuncta legitur, præponendam, non ignobiles JCT. i velint apud Bruneman, in l. *cit.* num. 4. Dein; quia ex ejus dispositione fidejussor omnino non obligatur solùm quoad duriorè causam, sive quoad id, in quo obligatus

ligatus non est debitor principalis: non etiam quoad summam ab isto debitam, arg. l. 1. §. 4. cit. quò expressa ratio etiam fidejussori accommodatur, Mynsinger ad §. Fidejussores cit. Demum; quia non incongruè dici potest, §. 7. cit. dictiones *Omnino non* non respicere quantitatem, sed modum obligandi; ut fidejussor in eo, quod summam à principali debitam excedit, nec civiliter nec naturaliter sit obligatus, Alciatus ad §. 4. cit. num. 31.

REGVLA XXXVI.

Pro Possessore habetur, qui Dolò desit possidere.

SUMMARIUM.

1. Simillima huic duæ Regula Civiles.
 2. Omnium sensus & ratio.
 3. Regula procedit in eo, qui dolò veram rei possessionem,
 4. Aut solam detentionem dimisit,
 5. Aut fecit, ne possideret,
 6. Et, qui possidere desit culpâ latâ:
 7. Qui equiparantur quadam fitione Juris,
 8. Naturam imitante, quoad solos effectus.
 9. Equiparatio ea magis declaratur.
1. Lenius hæc Regula tradita est à VV. JCT. is Paulo & Ulpiano: quorum ille, *Qui dolo, inquit, desierit possidere, pro possidente damnatur*, Regula 131. iste verò, *Parens esse conditionem oportet ejus, qui quid possideat vel habeat, atque ejus, cujus dolò factum est, quò minus possideret vel haberet*, Regula 150. in Pandect.
2. Sensus idem omnium est, *Qui rem alienam justè injustève possidet, eamque*

ab alio vindicandam advertens, dolò malo transferit in alterum, absumpsit, destruxerit &c, itaque possidere desierit, nihilominus pro possessore habetur perinde, ac si eam adhuc possideret. Rationem Regula 131. cit. JCT.º reddit; *Quia pro possessore dolus est.* Cujus ulterior ratio est; ne fraus sua & dolus, rem alienam malitiosè in alterum transferenti commodum, & incommodum afferat alteri, rem suam repetere volenti, contra Regulam e. Ex tenore 16. de Rescript. §. l. Ne ex dolo 13. ff. de Dolo & rationem æquitatis Naturalis; cum utique periniquum & exemplò perniciosum sit, quempiam à rei alienæ restituendæ obligatione per dolosam ejus in alterum translationem, absumptionem, destructionem se eximere cum alterius injuria vel damno posse.

Quare, si quis rem ante litem super ea contentatam, l. Amplius 15. ff. Rem ratam hab. vel ejus cum citatione insinuationem, Clement. 2. Ut lite pend. dolò in alterum transferendo desit possidere, Imprimis tenetur actione in factum ex Edicto de alienatione judicii mutandi causâ facta in id, quod interest, l. 1. §. l. Quia etiam 3. ff. de Alienat. jud. mut. saltem, si possessionis translatione durior reddita sit conditio actoris; quòd vg. difficilius adversarius à possessore sit substitutus, textus & Glossa in l. Quia etiam cit. §. 4. ut Lib. 1. tit. 42. n. 3. §. 6. est dictum. Deinde rei Vindicatione conveniri potest non solum is, qui rem possidet: sed is etiam, qui eam dolò desit possidere, l. Sin autem 23. §. 3. §. l. Qui petitorio 36. pr. ff. de R. V. non quidem, ut verus possessor, ejusmodi actione Directa, sed Utili, quâ petitur; ut, qui dolo possidere desit, rem ab iis, ad quos pervenit, recuperet ac restituat: aut, si hoc nequeat, condemnatur ad æstimationem, l. Qui restituere 68. V.

§ 8. V. Si verò ff. de R. V. Priusquam autem hæc condemnatio fiat, actor rei æstimationem, suæ ad eam affectioni respondentem, edicere, super eaque jurare: iudex autem, si æstimationem, ut plerumque solet, immodicam esse appareat, eam taxatione sua moderari & ad æquitatem reducere debet, ut *Lib. 2. tit. 14. n. 27.* est explicatum

4. Eadem, quæ possidentis verè, ratio est ejus, qui solum fuit in possessione, ut colonus, conductor & similes, quique rei servandæ causa missus est in possessionem; nam possessionis nomen hoc loco non presè, sed largè, ut etiam detentores, res dolò detinere desinentes, comprehendat, accipiendum, cum Corraasio *Lib. 6. Missell. cap. 5.* Peckius *hic n. 4.* observat.

5. Quin ejus etiam, cujus dolò factum est, ne rem possideret, *l. Sed est 25. ff. de Petit. hered. cujus §. 8.* Ulpianus, *Nam & is*, inquit, *qui dolò fecit, quò minus possideret, ut possessor condemnatur, accipies sive dolò desierit possidere, sive dolò possessionem noluerit admittere*; sic enim, qui ante litem contestatam dolò fecit, quò minus res hæreditarias possideret, perinde condemnandus est, ut si possideret, *l. Item veniunt 20. §. 6. ff. de Petit. hered. Sic & is, qui rem destruxit aut corrupit, ne haberi posset, nihilominus actione ad exhibendum tenetur & convenitur; quia dolò fecit, quò minus possideret, l. Julianus 9. pr. ff. Ad exhibendum.*

6. Neque solum, qui dolò, sed is etiam pro possessore habetur, qui rem culpâ latâ desit possidere; nam & is, qui sic positionem amisit, rei vindicatione, non quidem Directâ, sed Utili convenitur, & condemnandus est ad æstimationem, *l. Si culpâ 63. pr. ff. de R. V. Bartol. in l. Unic. C. de Alenar. judic. mut. caus.* quòd ejusmodi culpa regulariter (causis Capitalibus exceptis, *l. In lege 7. ff. ad L. Cornel. de*

Sicar. dolo, cui proxima est æquiparetur; l. Mulier 22. §. 3. ff. ad S. C. Trebell. Peck. hic n. 3.

7. Hæc, dolò possidere desinentis & verè possidentis, æquiparatio primò occurrit perquam difficilis apparet; quòd possessio sit facti, *l. 1. pr. §. 1. Ec. ff. de Acquir. possess.* Cum ergo ea, quæ sunt facti sive facta, quæ non sunt, facta fingere impossibile sit, eum qui dolò possidere desit & non possidet, fingere esse possessorem repugnat; cum enim fictio imitetur naturam, *l. Adoptio 16. ff. de Adopt. ea, quæ naturâ diversa & opposita sunt; ac proinde is, qui possidet & qui possidere dolò desit, & jam non possidet, pro eodem non poterunt haberi. Verum, si æquiparatio accuratius ponderetur, neque ipsi neque Regulæ rationem hanc quidquam officere, patebit; quia esto possessio facti sit, quatenus naturali apprehensione, quæ facti est, inchoatur, à Jure tamen habet effectus, quos parit, & ad quos justâ ratione tuadente à Jure ei æquiparatur pariter in facto consistens dolosa translatio amissio vel omisso possessionis: sicut idem Jus quoad effectus aliquos patrem & filium pro una eademque persona, *l. In. C. de Impub. substitut.* pro præzente canonicum, qui in servitiis Episcopi ab Ecclesia absens, *c. Ad audientiam 15. de Cleric. non resid.* pro mortuo monachum, qui in vivis est, *can. Flacuit 16. q. 1.* & eum, qui in utero est, pro nato habet, *l. Qui in utero 7. ff. de Statu homin.**

8. Neque his obstat; quòd fictio imitatur naturam; quia hanc non imitatur inducendo veritatem; ut, qui dolò non possidet, verè possideat; sed solummodo communes effectus utrique tribuendo; ut in casu ficto idem operetur fictio, quod veritas in casu vero: & esse possessorem & pro possessore haberi, licet in se diversa sint, eosdem tamen pariant effectus, Everard.

Everard. *Legal. arg. loco à vi Fictiois n. 4.*
& Gonzalez *ad Reg. 8. Cancell. gloss. 51.*
num. 18.

9. Neque hanc effectuum communio-
nem excludit; quòd, ut dictum, rei pos-
sessor directà, dolo possidere desinens uti-
li duntaxat actione conveniatur; quòd
adversus illum ad rem ipsam, adversus i-
stum ad æstimationem consequendam a-
gatur; quòd possessio etiam malæ fidei
legis beneficiò defendatur, & adversus
non dominum habeat exceptionem: is
autem, qui dolo possidere desit, neque
adversus dominum, neque adversus non
dominum actione aliòve Juris beneficiò
adjuvetur; facilis enim ad hæc responsio
est; quia Imprimis, licet utilis & directà
actio origine differant, in rem tamen u-
traque tendit eò solum discrimine; quòd
directà semper res penes reum conventum
existens; utili autem actione vincenti a-
liquando sola æstimatio adjudicetur;
quòd res ipsa non amplius existat, aut ne-
queat haberi. Deinde; quia possessor ad-
versus non dominum ideo solum defen-
ditur; quòd in pari causa melior sit con-
ditio possidentis, *Reg. In pari 65. in 6. &c.*
si de actoris jure certò constet, possidentis
jus non attendatur, *l. fin. C. de R. V.* Cùm
ergo is, qui dolo possidere desit, non
possideat, non melior ipse, quàm non
domini conditio; ac proinde nec ratio est,
cur ipsi assitit Jus; quia hoc non possiden-
ti non assitit, nisi adversus eum, contra
quem munitus est actione, quã dolo pos-
sidere desinens destituitur; cùm actio-
nem ex dolo & improbitate sua consequi
non possit, *l. Itaque 12. §. 1. ff. de Furtis.*
Demum; quia rem dolo possidere desinens
pro possessore solummodo in suum in-
commodum, non etiam in commodum
habetur, *Strein. bic n. 3. in fine.*

☞ (O) ☞

REGULA XXXVII.

*Utile non debet per Inutile vi-
tiari.*

SUMMARIUM.

1. *Utile hic dicitur, quod validum &c.*
est.
2. *Sensus & ratio Regule.*
3. *Qua in omni materia locum habet.*
4. *Si utile ab inutili separabile sit.*
5. *Et sine isto subsistere possit.*
6. *Solacismus vitat omnes partes Re-
scripti.*

Utile hæc locò est; quod, spectatã
tam naturã suã, quàm Juris di-
spositione, validum aptumque
est ad aliquid validè agendum;
& contrã inutile, quod invalidum & ad
aliquid validè efficiendum ineptum est, ex
mente Baldi *Lib. 2. Feud. tit. 34. V. Si-
militer.*

Quare Regulæ istius sensus est, *Id.*
quod in se utile sive jure validum, aut ad
aliquid efficiendum aptum est, valorem &
vim suam non amittit, alicujus inutilis
Jurisque invalidi & inepti accessione sive
adjunctione. Ratio est; quia actuum ea
interpretatio faciendã & aliis præferendã
est, quã valeant potius, quàm pereant, *c.*
Abbate 25. de V. S. & l. Quoties 12. ff. de
Reb. dub. adeò; ut, quæ militat pro valore
actûs, aliarum interpretationum Regina
dicatur, Mantica Lib. 12. de Conject. ultim.
volunt. tit. 17. n. 13. Neque id immeri-
tò; quia sic vel maximè congruet agentium
intentioni; cùm non faciliè quem re-
perire sit, qui judicia & actus suos valore
destitui: sed eos omnes habere vim atque
effectum fortiri velint; atque idcirco,
cùm aliquid agunt, si quid inutile accedat,
vel ad-

l i i

vel ad-

vel addatur, id actorum suorum valori non nocere, vel pro eorum conservatione omnino rejicere voluisse, præsumantur.

3. Sic accepta Regula latissimè diffunditur; cum ferè in omni, tam Ecclesiastica & spirituali, quàm prophana materia, & in humanis actibus pene omnibus procedat; sic enim, si Prælati electioni interfit Canonicus excommunicatus, licet ipsus, tanquam spiritualis officii actuali exercitiò privati, irrita: valida tamen sunt suffragia aliorum non censuratum, saltem si contra excommunicatum sint protestati; ut majoris eorum partis in unum conspirantibus suffragiis celebrata electio subsistat, *c. Consiuetus 23. de Appellat.* & electio Canonica confirmationis non canonice & invalidæ accessione valorem suum non amittit, *c. Si confirmationem 39. de Elect.* in 6. Sic concessio Indulgentiæ, ab Episcopo extensa ultra tempus unius anni à Jure permissum, *c. Cum ex eo 14. V. Ad hac, de Penit. & remiss.* invalida solummodo quoad excessum, & quoad annum valida est, *c. fin. eadem Rubr. in 6.* & manumissio servi Ecclesiæ cum istius bonorum ipsi ab Episcopo facta donatione valida est: quantumvis si viginti solidos excedat, quoad excessum Jure non subsistat, *can. Si quos de Servis, 12. q. 2.* Sic emphyteusis Ecclesiastica in tertiam & quartam generationem concessa, nulla quoad quartam, & firma est quoad tertiam Jure permissam, *Novell. 7. cap. 3. §. Quod autem:* eodemque modo rei Ecclesiæ immobilis locatio antiquè ad tria novennia, *Glossa fin. in Clement. 1. de Reb. Eccles. alien. recentiori Jure ad tria triennia distincta Extravag. Ambitiosa, inter com. eadem Rubricâ eodem die uni vel diversis facta quoad primum sustinetur, licet invalida sit quoad duo novennia vel triennia posteriora per tradita Lib. 3. tit. 18. n. 8. & 9.*

Simili modò donatio inter vivos 500. solidos excedens & absque insinuatione facta firma est, quoad summam Jure permissam, & quoad solum excessum vitatur, *l. Sancimus 34. C. de Donationibus & testamentum, ex causa præteritionis vel exheredationis irritum, quoad cætera firmum manet, Auth. fin. C. de Liber. præterit.* Sic demum duobus tutoribus, verò & falsò, contrahendi auctoritatem accommodantibus pupillo, contractus ab isto initus valet, falsi accessione veri tutoris auctoritatem non infirmante, *l. 1. §. 3. ff. Quod falso tut.*

Sicut hæc & similes pro Regula, sic contra istam militant instantiæ aliæ ex lute de promptæ; nam actus legitimos conditionis vel diei adjectione vitari, *Regula est 50. infra* declaranda; electio à clericis una cum laicis celebrata in totum nulla est, quantumvis clericorum major pars convenerit in unum, *c. Messana 56. de Elect.* Simili modò in totum corruit compromissum in duos, quorum unus arbiter esse non potest, *l. Padius 7. ff. de Arbit.* In decreto judicis, aliquem in possessione mittentis pro debito, partim vero, partim falso, *l. 1. §. 5. Ne vis fiat ei &c.* quia decretum judicis individuum est, *Bruneman. in l. cit. n. 11.* Instipulationibus quoque inutilis responsio vim adimit interrogationi; ut ista, etiamsi utilis sit, stipulationem & obligationem non inducat, *l. 1. §. 3. ff. de V. O. &c.* Verùm hæc & similes instantiæ penitus inspectæ Regulam non petunt; cum ista de rebus & actibus dividualis, & utilis ab inutili separationem admittentibus procedat: non de individualis sive talibus, qui vel ex natura rei, quod partibus non consent: vel propter formam, ad substantiam & valorem actus duo simul, vel alicujus absentiam exigentem: vel propter dependentiam sive unius cum altero necessariam connexionem, vel

nem; vel ex dispositione Juris aut agentium voluntate separari eorumque unum sine altero consistere non possunt, ut cum Glossa & Viviano *hic*, Alciato *in l. Soluendo 114. ff. de V. S.* observant Covarruvias *Lib. 2. var. cap. 15. n. 5.* Sarmiento *Lib. 3. Select. cap. & Molina de Primogen. Lib. 1. cap. 21. n. 5.* Cùm ergo diei vel conditionis adjectio actus legitimi formam destruat, ut *ad cit. Reg. 40.* dicitur: eamque & Canonica electionis substantiam accessio laicorum ad clericos, & utili interrogationi non congrua sive inutilis responsio substantiam stipulationis tollat: & ex agentium seu compromittentium voluntate compromissum in duos, altero deficiente, non subsistat, mirum non est; quòd in his & rebus individuis aliis utile ab inutili, à quo separari non potest, vitietur.

5. Ex hujusmodi causis Regulæ locus etiam non est in duobus delegatis, quorum unus ex causa suspicionis approbata recusatus est; cùm alter, recusato quasi collega adjunctus, nihil agat, *c. Cùm super 23. de Offic. deleg.* quòd condelegatus ipsa suspicionis approbatione amiserit jurisdictionem, ex rescripto sibi competentem, *c. Judex 5. V. Post recusationem, eadem Rubr. in 6.* In sententia judicis de summa jurisdictionem suam excedente (sine partium conventionem) pronuntiantis; cùm ejus sententia invalida sit etiam quoad summam minorem jurisdictioni suæ respondentem; quòd sententia super una eademque re lata valere pro aliqua, & pro alia parte non valere non possit, *l. In hoc 27. ff. Famil. hercis.* Peckius *hic n. 12.* In donatione bonorum omnium presentium simul ac futurorum; ea enim irrita est, licet solorum presentium, aut futurorum duntaxat bonorum donatio subsistat; quòd utroque donatio, si valeret, donatori adis-

meret facultatem testandi, Baldus *in l. fin. C. de Pacis & Gaill. Lib. 2. observat. 11. n. 10.*

6. Ex iisdem & speciali etiam ratione in totum irrita sunt rescripta sive literæ Apostolicæ in una parte continentes solacitum seu vitium constructionis, aut phrasin à stylo Curie alienam, *c. Ad audientiam 11. de Rescript.* quòd ex ejusmodi vitio oriatur vehemens suspicio ac præsumptio, literas à sede Apostolica non emanasse, ut *Lib. 1. tit. 3. n. 100.* est dictum. Deinde fidem & probandi vim omnem amittit testimonium, cujus parte aliqua falsa deprehenditur, *can. Pura 17. ibi, Totam testimonij fidem partis mendacio decolorat, 3. q. 9.* Demum instrumentum Notarii, unius partis falsitate compertâ, totum corrui; ut partibus etiam separatis fides non habeatur, *arg. can. Si ad scripturas 7. dist. 9.* Glossa *fin. ibi, & in c. Quantò 5. V. Absentium, de Ita, qua à Prelat.* Ratio utriusque est; quòd fides testis ac notarii sit omnino indivisibilis, *arg. cann. cit.* ac proinde in una testimonii vel scripturæ parte apparens falsitas testimonii & instrumenti fidem totam labefaciet, & merito reddat suspectam, Peckius *hic n. 5.*

REGVLA XXXVIII.

Ex eo non debet quis fructum consequi, quod nisi exstitit impugnare.

SUMMARIUM.

1. Sensus & ratio Regula;
2. Que declaratur exemplis;
3. Exigit, impugnationem completam;
4. Voluntariam, factamque suo nomine;
5. Et contra eum, contra quem ex ea fructum consequi vult.

l i i 2

Explica-

1. **E**xplicatio aut applicatio quædam est hæc Regulæ, *Quod semel placuit, displicere amplius non potest*, quæ est 21. ex declaratis,

Sensus propositæ planus est, *Qui legem, rescriptum, instrumentum, aliãve dispositionem &c. in iudicio semel impugnavit, fructum aut commodum ex ea petere, sive eã pro se uti iure non potest*. Ratio est partim; quia aliquid impugnans, id invalidum injuitimve; atque idcirco ad fructum & commodum ex eo percipiendum non proficere, contendit: quale si est, sicut aliis, sic ipsi quoque prodesse non potest; cum, *Quod quisque juris in alterum statuit, ipse uti debeat eò: & sapientis dicat auctoritas, Patere legem, quam tu ipse tuleris, c. Omnes 6. de Constitut.* partim verò; quia aliquid impugnans, id tanquam inutile reprobare ac rejicere; itaque juri, si quod ex eo sibi competeret, renunciare censetur, *c. Olim 19. de Censibus*; ad id autem, quod quis renunciandum putavit, reditus ei à jure denegatur, *c. cit. & l. Si quis 11. C. de Reb. credit.*

2. Atque hinc is, qui Decretales aliãque Constitutiones Apostolicas & Canonicas sanctiones esse authenticas temere inficiatur, ex earum allegatione subsidium & causæ suæ patrocinium sperare non debet, *arg. can. 1. dist. 19.* qui fidem pactiois violavit, ut illa ab adversario custodiatur, exigere non potest, *l. Qui fidem 16. ff. de Transact.* qui instrumentum quasi falsum oppugnare est nusus, eò pro se uti non permittitur *c. Olim cit. &c.* qui testamentum falsum aut inofficiosum improbè dixit, non solum ex eo nihil consequitur: sed, quod fortè consecutus est, ipsi ablatum fisco addicitur, *l. Papinianus 8. §. 14. ff. de Inoffic. test. & l. Post legatum 5. §. 1. ff. de His, quæ ut indign.* cum impugnando fundamentum juris sui ei

videatur renuntiãsse, *c. cit.* Aliud esset, si falsum testamentum non ut falsum, aut inofficiosum, sed ut non jure factum, sive minus solenne impugnare esset nusus; cum tali legatum non adimatur, *§. 1. cit. & l. Si testamentum 24. ff. de His, quæ ut indign.* Ratio discriminis est; quod testamentum falsum aut inofficiosum dicens impugnet ipsius defuncti iudicium & voluntatem: & hanc vel omnino deficere, vel defunctum sanæ mentis non fuisse, contendere videatur, *l. Hoc colore 2. ff. de Inoffic. testam.* ac proinde non solum institutionem, sed legata quoque impugnãsse: non etiam, qui testamentum dixit minus solenne; cum ei non solenni testamentò relicta deberi possint, *Dynus hic n. 4.*

Porro, ut huic Regulæ locus sit, necessarium est; ut impugatio non solum inchoata, sed usque ad sententiam definitivam, licet conatu vano & sine effectu sit perducta, *§. 14. cit.* si enim ante hanc latam liti in totum renuntiando desisteret, in eo, quod impugnavit, se fundare ex eoque commodum percipere non prohiberetur, *l. Alia 8. C. Quibus ut indign.* quòd errorem suum agnoscanti ac penitenti veniæ locus non denegetur, *can. Quanto 2. q. 4.*

Deinde requiritur; ut id impugnare nusus sit voluntariè suoque nomine, non coactus officii necessitate & nomine alieno; cum tutor & curator, qui ex officio suo & pupilli vel minoris nomine testamentum tanquam falsum aut inofficiosum impugnant, legatum eò sibi relictum capere possint, *l. Adversus 30. §. 1. ff. de Inoffic. testam. & l. Quædam 26. C. de Administr. tut.* ne officium suum ipsi sit damnosum & unde præmium meruere, dispendium patiantur, contra Regulam *c. Cum non deceat 30. pr. de Elect. in 6. & c. Pervenit 2. de Fidejuss.*

Demum,

Demum, licet in eo, quod impugnanis est, se standare quis nequeat contra eundem, contra quem id impugnavit: contra tertium tamen aliquem ipsi ejus usus Jure non denegatur; cum regulariter inter aliquos acta aliis non præjudicent, *e. Quamvis 25. de Sent. & re judic. & l. Inter 2. C. Quibus res judic. non nocet, Peckius hic n. 5. ad ult.*

REGULA XXXIX.

Cum quid prohibetur, prohibentur omnia, quæ sequuntur ex illo.

SUMMARIUM.

1. *Diversa hæc est à Regula 84. infra,*
2. *Et à Rescripto l. Non dubium 5. C. de LL.*
3. *Ejus sensus declaratus exemplis,*
4. *Firmatur ratione,*
5. *Et difficultatum objectarum complanatione.*

1. **S**imilis huic primò occurru videtur Regula, *Cum quid unâ viâ prohibetur alicui, ad id aliâ non debet admitti, quæ est 84. infra.* Sed primò tantum occurru; quia attentiori mentis oculò æstimata affinis quidem, sed diversa omnino apparet; cum istâ aliquò prohibitiò unâ, per viam seu mediâ alia, per quæ ad prohibitum pervenitur: illâ verò & præsentî Regulâ sequentia sive, quæ ex prohibito sequuntur, prohibita asserantur.

2. Proprius ad præsentem accedit Rescriptum Imp. Theodol. & Valentin. Cæs. *l. Non dubium 5. C. de LL.* quò, cum pactis & contractibus contra legis prohibitionem initis valorem ademissent, Imp.

hæc verba subjecerunt. *Sed etsi quid fuerit subsecutum ex eo, vel ob id quod interdicente lege factum est, illud quoque casum & inutile esse precipimus.* Ab Imperiali tamen hoc Rescripto Regula nostra etiam recedit; quòd ista solam actûs inhonestatem, illud etiam nullitatem ad sequentia trahat.

Sensus ergo Regulæ est, *Quando aliquid Jure prohibitum est, prohibita censentur omnia, quæ ex eo, non quomodoa cunque & merè contingenter ac possibiliter, sed ordinariò & propter quandam connexionem ac dependentiam ab illo necessariò sequuntur, saltem si illud prohibendî ratio etiam contra hæc militet ac perseveret.* Ita certè, prohibitiò esu carniûm in Quadragesima, eorum etiam, quæ sementinam carnis originem trahunt, puta, ovorum, casei, lactis comestio inhibita olim *can. sm. V. Par autem, dist. 4.* & hodie quoque intelligitur in provinciis, in quibus à primæva sacri Jejunii institutione & prælica observantia non, ut Germaniæ nostræ non optimis moribus, est recessum. Sic moechiæ ad omnem illicitum concubitum, *can. Mœchices 12. q. 3.* & Concupiscentiæ prohibitio ad omnem illicitam rerum alienarum usurpationem & contrectationem, lucri faciendî causâ factam, extenditur *can. Pœnale 14. q. 5. & l. 1. ff. de Receptat. & ibi DD.* Sic etiam pater spurium instituere prohibitus eî alium, aut alii ipsum substituere nequit, *l. 1. C. de Natural. lib. Gaill. Lib. 2. Observat. 115. n. 4 &* cujus in judicio persona reprobatur, non recipitur scriptura, *can. Fraternitatis 4. de Heret. &c.*

Ratio horum omnium & Regulæ desumitur ex consequentium cum antecedentibus connexionem ac dependentiam; cum connexorum idem sit judicium, *e. Translatio 3. de Constitut. &* quæ ita ex aliquo sequuntur, ejus sint accessoria: quæ na-

quæ naturam sui principalis sequuntur, *Regula est 138. ff. § 42. in 6.*

5. Quæ Regulæ opponuntur, ad duo capita reducuntur. Primum est; quod multa ex prohibito secuta Jure subsistant. Verum quia, ut *Lib. 3. tit. 13. n. 24.* ostendi, aliud prohibere & aliud irritare est: & multa prohibentur, quæ si facta fuerint, roboris obtinent firmitatem, c. *Ad Apostolicam 16. de Regular.* neque mirum est, neque Regulæ officit; quod valida aliquando sint, quæ ex Jure prohibitis sequuntur; cum istorum valorem aut nullitatem Regulæ tenor non attingat.

Alterum; quod aliquo prohibito non semper ex eo secuta & accessoria inhibeantur; cum actio doli accessorie & in consequentiam remitti valeat, licet per se & principaliter non possit. *l. Si unus 27. §. 3. ff. de Pactis*, & *Judex*, qui de status aut in integrum restitutionis causis principaliter in judicium deductis cognoscere prohibetur, de iis cognoscere valeat, quando in judicium veniunt accessorie & incidenter, *l. Quoribus 3. ff. de Judiciis* & *l. fin. C. ubi & apud quos &c.* Sed etiam hæc Regulam non convellunt; quod huic locus non fit, quando de sequentibus & accessoriis aliud Jure constitutum, & non eadem, quæ actus prohibiti, ratio est ex eo secutorum; quod in allatis exemplis non contingit; cum remissio actionis depositi, quæ actionis doli tacita & accessoria remissio est, ad delinquendum non ita aperte, ut actionis doli expressa remissio invitet: & memoratarum causarum cognitionem, cum in judicium super alia re inchoatum incidunt, istius judicij permittendi ratio fuerit; ne divisâ utriusque cognitione lis nimis diu proteletur, & litigantes, præsertim reus, nimium graventur.

••• (o) •••

REGULA XL.

Pluralis locutio Duorum numero est contenta.

SUMMARIUM.

1. *Regula procedit, cum Jus non exigit numerum majorem.*
2. *Ejus sensus & ratio.*
3. *Atque ex utroque Jure deprompta exempla.*
4. *Pluralis locutio aliquando uno duntaxat contenta est:*
5. *Aliquando duobus plures exigit.*

Regulam hanc iisdem verbis tradidit Ulpianus, *l. Ubi numerus 12. ff. de Testibus*, cujus pr. monet, locum ei duntaxat esse, ubi certus numerus lege alia dispositione non est definitus; cum, si ad alicujus actus v.g. testamenti, mortis causâ donationis, contractus nuptialis certus v.g. testium numerus Jure præscriptus sit, locutionem de ejusmodi actu pluralem duorum numero contentam non esse, res sit omnino explorata.

Sensus ergo Regulæ est, *Quando 2. legalis alia dispositio utitur nomine aut verbo numeri pluralis, ad eam verificandam, sicut exiguntur, sic sufficiunt duo, nec pluribus est opus: nisi plura exigi, aut unum sufficere Jure expressum sit aut aliunde constet.* Quod postremum addo; quia passim invaluit mos, quod Principes, Prælati & alia quædam personæ singulares pronominibus, *Nos, vos, Noster, Vester*, ex primava sua significatione plures denotantibus, Majestatis vel dignitatis, pluribus æquipollentis explicandæ vel honorandæ gratiâ uti ipsæ, & compellari ab aliis solent, *Canisius hic in fine, & Sereia.*

& Strein. n. 1. Ratio ad verificationem duos exigendi est; quod iis non sit minor numerus pluralis; cum unum sive unitas non faciat numerum pluralem, sed hujus duntaxat principium sit, quod alteri non conjunctum inducit & constituit singularitatem. Quod autem sufficiant duo, evincit Regula. *In obscuris id, quod minimum est, sequimur*, quæ est 30. ex explicatis § 9. in *Pandectis*; quod Juris & æquitatis ductu proniores nos ad liberandum esse, conveniat, quàm ad obligandum, *l. Arrianus 47. ff. de O. & A.*

3. Declaratur Regula exemplis; sic enim prisci Ecclesiæ Canones, Missæ sacrificium aliter, quàm duobus saltem præsentibus celebrari vetuerunt, *can. Hoc quoque 61. dist. 1. de Consecrat.* quod sine iis pluralis numeri orationes, *Domine Vobiscum & Orate fratres*, non verificentur: quamvis hodie id non observetur; quod verba illa dirigantur ad Ecclesiam, quæ fideles omnes complectitur & per unam ministri personam satis representatur. Ita, si cum aliquo ad pluralitatem beneficiorum Papa dispenset, dispensatio ad duo duntaxat non curata se extendit, *c. Is, cui 17. de Præbend. & dignit. in 6.* quod verificetur in duobus, & tanquam odiosa dispositio restringenda potius sit quàm extendenda, *c. 1. in fine de Filiis Presbyter. in 6.* Ita, si testamentò libertas post annos relicta sit, id de duobus annis exauditur, *l. Liberras 17. §. 3. ff. de Manumiss. testam.* quod id exigat favor libertatis & verba patiantur: & si quid in diebus fieri testator jubeat, & aliud non exprimat, biduo oporteat impleri, *l. Inter 2 17. §. 1. ff. de V. S.* Ita demum, ut alia omittam, si ad actus valorem plures testes exigantur indistinctè duo sufficiunt, *can. Si testes 3. §. Vbi numerus, 4. q. 3. §. l. Vbi numerus cit.*

4. Ea, quæ Regula obiciuntur, ad bi-

narium indigentur; cum vel sufficere unum, vel duobus plures exigi contendant. Et prius quidem suadetur inde; quod conditio, *Si liberos suscepit*, verificetur in uno; cum, qui unam prolem suscepit, sine liberis non decessisse, intelligatur, *l. Non est 148. ff. de V. S.* & cum assumendi dicuntur arbitri, qui de causa recusationis ac suspicionis cognoscant, *c. Suspicionis 39. de Offic. deleg.* unum assumi sufficiat, *Glossa in c. 1. V. Unus, de Arbitr.* Sed ista intentum non persuadent; quia liberorum nomen etiam in uno verificatur; quod careat singulari numero: & ratio; quod disponens extraneos suis anteponeere voluisse non præsumatur, in una prole verificatur. Arbitri autem pluralis numeri verbò assumendi dicuntur; quod id ordinariè soleat & favore assumentium in eandem personam raro conspirantium: qui, si favori pro se principaliter introducto renuntiare, & unum tantum arbitrum assumere mutuò consensu velint, non prohibentur.

5. Posterius autem, sive ad locutionis pluralis verificationem plures quàm duos desiderari, desumitur ex eo; quod, si cui testator legarit electionem servorum, is non debeat esse contentus duobus, sed tres valeat eligere, *l. 1. ff. de Optione leg.* & secundum alios textus locutio pluralis non nisi in ternario, quinario, aut septenario verificetur: imò, si testator hæredi præcipiat; ut in æde sacra Apostolorum statuas & imagines ponat, dispositionis impletio exigat positionem duodecimarum ex mente Bartoli *in l. Titia 38. §. Scia 2. ff. de Auro & Arg. leg.* Sed istorum etiam vis in Regulam exigua est partim; quia jam monuit, in dubio duntaxat & iis casibus, quibus aliud Jus vel disponens non expressit, plurali locutioni satisfieri. Vnde legati optionis tres, & aliorum Jurium plures ad verificationem exigentium

exigentium instantiæ Regulam non pe-
tunt: partim verò; quia Apostolorum
statuas, vel imagines legans non duorum,
sed omnium Apostolorum signa legasse
præsumitur; quòd verisimile sit, testa-
torem secutum communem modum lo-
quendi, quòd Apostolorum nomine, plu-
rali numero simpliciter prolatò, denotari
& intelligi omnes solent.

REGULA XLI.

*Imputari non debet ei, per quem
non stat, si non faciat, quod per
eum fuerat faciendum.*

SUMMARIUM.

1. Explicatio verborum Regulae.
2. Istius sensus & exempla.
3. Firmatur ratione.
4. Et dissolutione obiectorum.

1. **P**er eum, quòd minus aliquid faciat,
vg. quòd minus ad præfixum ter-
minum in iudicio compareat, non
stare dicitur, cui quominus id
faciat, obstat legitimum impedimentum,
puta infirmitas, absentia in remoto loco,
detentio in carcere, majoris momenti &
dilationem non admittens negotium, ho-
stium aut inimicorum, vias obfidentium
insidiarum, incommoditas tempestatis & si-
milit quidpiam, quòd removere non est
in ipsius potestate. Vnde

- Proposita Regulæ sensus est, *Ei,*
2. *qui, quòd facere deberet, non facit, ad
poenam & damnum imputari jure nequit,
si id facere propter obfians legitimum im-
pedimentum non fuit in ejus potestate.*
Hinc certè est, quòd electoribus & col-
latoribus, quòd minus prælatum eligant,
vel beneficia conferant, iustà causà impe-

ditis trium aut sex mensium à Jure indol-
tum tempus non currat, c. *Ne pro dese-*
ctu 41. de Elect. & c. Quia diversitatem
5. de Consec. prob. Simili modò, licet
ad Ecclesiam parochialem promotus ad
sacerdotalem Ordinem intra annum su-
scipiendum sub poena amissionis Ecclesiæ
teneatur, poenam tamen hanc non incur-
rit, quando ab illius susceptione iustà
causà vg. propter absentiam vel suspensio-
nem Episcopi fuit impeditus, c. *Com-*
missa 35. de Elect. in 6. & beneficiatus à
sacro ministerio impeditus infirmitate
non amittit beneficium, c. *1. de Cleric.*
agror. licet hoc propter officium sive sa-
crum ministerium sit collatum, c. *fin de*
Rescript. in 6. Hinc etiam legatarius, per
quem non stetit, quò minus impleteret
conditio legatò adscripta, nihilominus le-
gatum, l. *Quæ sub conditione 8. ff. de*
Condit. instit. & servus, cui libertas re-
lictà, si hæredi annò servierit, istò lapsò
eam consequitur, quantumvis infirmo-
tate aliave iustà causà à servitiis sapius
fuerit impeditus, l. Cum hæres. 4. §. 4. ff.
de Statu liber. Hinc demum, licet, qui à
sententia provocavit, appellationem in-
tra annum teneatur prosequi, c. *Cum sit*
5. de Appellat. eò tamen lapsò appellatio
deserta non censetur, si, quò minus
id ageret, legitime fuit impeditus, c. *Ex*
ratione 8. & Clement. Sicut 3. de Appellat.

Ratio horum & ipsius Regulæ est;
quòd sine culpa puniri & Jure suo privari
nemo debeat, per Regulam 23. supra de-
claratam: in culpa autem non sit, cui id,
quòd debet, facere volenti, quò minus fa-
ceret, legitimum obfistit impedimentum;
ut proinde, eum puniri, aut damnò saltem
notabili affici, non permittat ratio huma-
nitatis, quæ temper excusat eum, per
quem non stetit, quò minus perficeret,
quòd susceperat: aut, quòd aliàs deberet,
susciperet faciendum.

Neque

Neque in contrariū facit quod patrono laico, propter litem super Juris patronatus quali possessione motā à clerici ad beneficiū præsentatione impedito, quadrimestre currat; ut eò finito beneficium obnoxium sit liberæ Episcopi collationi, *c. Quoniam 3. in sine & c. Cùm propter 27. de Jure patron. cùm;* quia agitur de re modica, sive unico actu præsentationis sine præjudicio in futurum: tum verò; quia id contra communem Juris regulam introductum est favore Ecclesiarum, quibus diutina vacatio damnosa: & animarum, quibus ea periculosa esse solet, *c. Ne pro defectu 4. de Elect. pr. ut Lib. 3. tit. 38. n. 93.* est dictum.

Minorem vim habet; quòd, ne ad iudicium accederet, à privato impeditus, imò à publica potestate carcere detentus à legis pœna non excusetur, quin contra eum tanquam contumacem procedatur, *Clement. Mulorum 2. V. Illis, de Poenis,* quia constitutio hæc *V. cit.* petit impeditos impedimentò affectatò & procuratò; ne in Jure valeant comparere: qui utiq; legitimè impeditus non est; cùm talis is solutimò dicatur, qui impedimentū non potuit removere: non etiā, qui ad removendum ullam diligentiam non adhibuit, & multò minus, qui impedimentum ipse posuit, vel dolosè procuravit, *Imola & Panormit in Clement. cit.* cùm fraus sua & dolus ipsi non debeat patrocinari, contra Regulam *c. Ex tenore 16. de Rescript. & l. Nec ex dolo 12. ff. de Dolo.*

REGULA XLII.

Accessorium naturam sequi congruit Principalis.

1. Principale est, quod per se stat.
2. Accessorium aliquid quatuor modis esse potest.

3. Sensus & ratio Regule:
4. Qua locum habet in legibus, re scriptis ac judiciis:
5. In contrariis & ultimis voluntatibus:
6. In spiritualibus, & odiosis quoque.
7. Et cum accessorium principali dignius est:
8. Principale, accessorio corrue, subsistere potest.
9. Infantia contra Regulam, ex utroque Jure petita,
10. Congruā explicatione cum ea conciliantur.

P Rincipalis & Accessorii nomina varie à DD. & Jure etiam accipiuntur. Hòc locò principale censetur id, quod per se stat, sive in propria virtute subsistit; accessorium verò, quod per se non subsistit, sed dependenter ab alio, cui inest, vel accedit, ut colligitur ex *c. Si super 9. de Offic. deleg. in 6.* Barbosa ad hanc. Reg. n. 11.

Accessorium aliquid alteri quatuor modis esse potest: & imprimis quidem ut rei ita inest; ut hæc sine ea inutilis reddatur: quò modò fundo accessoria sunt instrumenta; cùm sine his ille utilis esse non possit *l. Cùm fundus 21. ff. de Fundo instr. leg.* Deinde, ut ejus pars seu portio quædam sit: sicut quæ fundo infixæ eique inædificata, & domui adjunctus hortus accedit, *l. cit. & l. Prædii 91. §. 5. ff. de Legat. 3.* Tertio, ut ex natura rei vel ex legis dispositione vel ex mente ac voluntate contrahentium aut aliter disponentium alterum sic comiteretur; ut id semper sequatur: quò modò vasis aureis & argenteis accessoria sunt vilioris materiæ vasa, in quibus illa reposita adfervantur, *l. Heres 100. §. 3. & fin. ff. de Legat. 3.* Demum, ut unum ab altero pendeat tanquam ejus effectus aut coniciens ad

kkk

quens ad ipsum; sicut lumen solis & calor ignis accessoria censentur, *cit.* Barbosa n. 12. Hòc præmissò

Famòsæ istius Regulæ sensus est, **3.** Accessorii cum principali tantæ est connexio; ut istius naturam, hoc est, legem, vim & qualitatem sequatur: & dispositum de principali efficiat id, quod accessorium est; ac proinde permissò vel prohibitiò, positò vel ablatò principali, concessum vel prohibitum, positum vel ablatum accessorium intelligatur: dummodo ratiò accessorium ex se vel ex legis dispositione aut voluntate hominis principali inseparabiliter sit conjunctum: neque alia ejus quàm principalis ratio, aut dispositio Juris: neque accessorium sit ita arduum ac speciale, ut principale concedens de accessorio verisimiliter non cogitaret, Vivianus, Canisius & Barbosa *hòc n. 2.* Ratio Regulæ est; quia, ut dictum, accessorium quàm tale connexum est cum principali ab eoque pendet: connexorum autem idem judicium eademque ratio est, *c. Translatòz, de Constitut. & l. Illud 32. ff. ad L. Aquil.* ut proinde de principali dispositum ex disponentis mente de altero quoque accipiatur præsentì, & Regulâ *Nemo 129. §. 1. in Pandect.*

Atque sic intellectæ Regulæ locus est **4.** Primò non solum in legibus ac statutis: sed etiam in rescriptis ac judiciis; cum, si literis Apostolicis alicui delegetur causa, istius quoque accessoria ad illam expediendam necessaria *c. Præterea 5. & c. Prudentiam 21. §. Sexta de Offic. deleg. & delegatâ causâ matrimonii ad divortium, etiam dotis restituendæ causa illi accessoria commissa, intelligatur, c. De prudentia 3. de Donat. inter vir. & uxor.* Simili modò, si Gratia literis à Sede Apostolica alicui indultis pro eo in canonicum recipiendo constitutus sit executor, mortè Papæ, sicut gratia principalis, sic

etiam officium executoris accessorium, re etiam adhuc integrâ, non expirant, *c. Si super cit. ut ibi notant Joan. Monach. n. 5. Joan. Andr. & Laiman. n. 2.*

Secundò in contractibus; nam, vendi prohibitò spirituali officio, vendi etiam nequit ei accessoriè annexum jus percipiendi redditus temporales, ratione illius officii competens, *can. Presbyter 1. q. 1. can. Si quis obiecerit, ibid. q. 3. c. Ex insinuatione 26. Sc. de Simonia.* Venditò prædictò etiam aquæductus ei debitus & fistulæ, per quas aqua ducitur, cum aliis accessoriis ad emptorè transeunt, *l. Si aquæductus 47. ff. de Contrab. emp. Si principalis obligatio non subsistit, nec fidejussoria valet, l. Si quis 37. ff. de Fidejuss. & mand.* In integrum restitutione adversus contractum contrahentium voluntate remotâ, ei locus etiam non est adversus pœnam, quæ ex contractu descendit, Anchoran. *Consil. 126.*

Tertiò in ultimis voluntatibus; nam, si testamentum paternum non valeat, nec valebit substitutio pupillaris; quia hæc pars & sequela quædam est testamenti paterni, *§. Liberis 5. Instit. de Pupill. substitit.* Legatâ domo hortus quoque ei accessorius legatario debetur, *l. Prædiis & §. 5. cit.*

Quartò in spiritualibus, ut parochiæ canonicatui accessoriè unitæ exemplò, & inde patet; quòd sepulturâ sacrâ alicui concessâ etiam celebratio pro defuncto & funeris deductio processionalis concessa conseatur, Tuschus *Prætic. V. Accessorium, conclus. 77. n. 9. & 10.*

Quintò, non solum in favorabilibus, sed etiam in odiosis usque adeò; ut dispositiones etiam pœnales, correctoriæ & exorbitantes de principali ad accessoria porrigeantur, *cit.* Barbosa *n. 5.*

Sextò, etiam si accessorium nobilius ac dignius sit principali, cum gemmæ auro vel argento

vel argento insertæ, si istius ornandi gratiã adhibita; ejusque accessio quædam sint, aurum & argentum sequantur, *l. Cum aurum 19. §. 1. ff. de Auro & Arg. leg. & parochia simplici beneficio unita illius naturam & conditiones assumat; ut non sacerdoti & 24. annis minori cum beneficio illo valeat conferri, Navarrus Consil. 10. de Maiorit. n. 5. & Garcias p. 11. de Benefic. cap. 5. n. 195.*

§. Neque contra Regulam sic declaratam facit; quod corruente accessorio subsistere valeat principale; cum refectione secundâ die jeiunii permissâ, non hoc ipsò licita sit comestio carnis, cuius abstinentiã in jeiunio principale esse, communis sensus est DD. Testamentò non solenni inter liberos condito ac subsistente extraneis relicta legata, saltem prophana, non subsistant, *l. Hac consultiſſima 21. §. 1. C. de Testament. & remissò vel perente pignore, non eò ipsò remittatur aut pereat obligatio principalis, l. Postquam 3. ff. de Pactis & l. Servo 25. C. de Pignorib. & hypoth. &c.*, quia, licet hæc vera sint, vim tamen contra Regulam non habent; quia alia principalis ratio, quàm accessorii est; cum principale per se & in propria virtute subsistere valeat; atque idcirco fortius sit accessorio: quòd, cum per se non subsistat, sed dependeat à principali, cuius accessio & accidens est, mirum non est; quòd tolli ac periri valeat, principali remanente, *cit. Barbosan. 14.*

§. Magis urget & Regulam directè petit; quòd variis casibus validum firmumque sit accessorium, cuius principale Jure non subsistit; sic enim obligatorium est Juramentum, adjectum Jure invalida promissioni Usurarum, *c. Debitores 6. de Jurjurando*. Matrimonio ob uxoris adulterium solutò penes virum remanet accessoria dos, *l. Cum mulier 45. ff. soluto matrim.* Testamentò ex causa exheredat-

tionis vel præteritionis filii irritò relicta legata, fideicommissa &c. valent, *Aub. Ex causa C. de Liber præterit.* eòdemque modò legata pia, testamentò prophano ob defectum solennitatum invalidò relicta, debentur, *arg. c. Indicante 4. C. Relatum 11. de Testament.* Solutò etiam debitò aliquando valet pignus, *l. Intelligere 2. C. de Luit. pign.* Demum, licet pupillus, sine autoritate tutoris contrahens, nec civiliter nec naturaliter obligetur, *l. Pupillus 59. fidejussor tamen, qui pro eo intercessit obligatur, l. Si pupillus 127. ff. de O. & A. & 35. ff. de Arbitris.*

Sed etiam hæc instantiã ritè ponderatæ cum Regula eò, quem dedi, sensu limitata non pugnant.

Prima; quia usurarum promissioni & nonnullis aliis actibus Jure civili invalidis adjectum juramentum aliquando & quoties ex parte jurantis turpitudinem non continet, à principali separabile ac per se stans ac principale ipsum est, valet ex ratione speciali; quòd servandũ sit omne juramentum, quod sine dispendio salutis si-ve peccato & tertii præjudicio servari potest, ex Canonica Regula *c. Cum conringat 28. de Jurjurando &c. Quamvis 2. de Pactis in 6.* Cum ergo usurarum solutio sine ejusmodi dispendio præjudicioque valeat observari; ac proinde ex parte jurantis turpitudinem non contineat, tanquam principale servandum est; quantumvis usurarum promissio simplex sit nulla, ut *Lib. 2. tit. 24. an. 59* est explicatum.

Secunda, cum; quia de dote id specialiter constitutum est odii adulteri & favore conjugis innocentis; tum verò; quia bona dotalia, postquam ob uxoris fornicationem marito cesserunt, dos revera amplius non sunt, sed abusive tantum nominantur ob memoriam matrimonii, cuius intuitu marito primò sunt allatae

Kkkk

allatae

allata: postea verò, in thori ac fidei conjugalis violatæ poenam, marito sunt adjudicata, *l. Ex consensu 8. §. 4. C. de Repud. &c. Plerumque 4. de Donat. inter vir. & Uxor.*

Tertia; quia Regulæ locus non est, quando de accessorio specialis Juris dispositio, & alia ejus, quàm principalis ratio est: de ejusmodi autem legatis ac fideicommissis specialis Juris dispositio extat, *Auth. cit.* & alia istorum ratio est, quàm institutionis; cùm testator solummodo peccarit in institutione, quâ contra pietatis paternæ officium filium præterit: non etiam in legatis ac fideicommissis; cùm legare potuerit filio etiam instituto, *Gaill. lib. 2. observat. 113. n. 6. & observat. 134. n. 3.* Accedit; quòd Regula procedat de accessorio necessario: non de voluntario & accidentali, ut legata sunt & fidei commissis; cùm etiam sine testamento valeant relinquì, §. *Fratervea 10. Instit. de Fidei commiss. hered. & §. Sed non 3. Instit. de Legat.* ut proinde mirum non sit; quòd evacuato ejusmodi testamento relicta legata valeant ac debeantur, *Novell. 115. cap. 3. in fine.* Eadem ratio est testamento prophanò ad pias causas relictorum, ut dictum *Lib. 3. tit. 25. n. 91.*

Quarta de pignore; quia, ut aliis *DD. relatis cit. Barbosa n. 18.* advertit *l. Intelligere cit.* procedit de casu, quò debitor hypothecarius decessit relictis hæredibus duobus, & istorum unus duntaxat debitum pro sua parte solvendò à principali obligatione, quâ creditori tenebatur, est liberatus, alterò, qui id pro sua parte non solvit, obligatò remanente; hoc enim casu pignus durat, donec pars debiti residua fuerit soluta; quòd pignus sit individuum & non solvatur, nisi totum debitum fuerit solutum, *l. 1. C. de Licit. pignor.*

Postrema; quia ea fidejussoris obligatio nititur speciali ratione; quòd pro pupillo intercedens, seipsum principaliter obligare voluisse, præsumatur, *Ludwell ad Reg. Nihil cit. §. 1. n. 11.*

REGULA XLIII.

Qui tacet, consentire videtur.

SUMMARIUM.

1. Regula difficultas.
2. Verisimilior ejus sensus ac ratio.
3. Utriusque Juris instantiis confirmatur.
4. Et non paucis impugnatur.
5. Regula procedit in dubio.
6. Cùm quod agitur, tacens scit & intelligit.
7. Et, si vult, contradicere potest.
8. Cùm verba non pertinent ad actus formam.
9. Et res sive negotium arduum non est.
10. Occurritur instantiis objectis.

Regulæ istius verborum significatio Grammaticalis ita perspicua planaque est; ut nullà opus, imò vix locus sit interpretationi: sensus autem Juridicus ita obscurus intricatusque; ut de verò eruendo Interpp. plerique desperent: & si ei, quem verba præferunt, inhæreamus, propter casuum cum ea! pugnantium multitudinem vix, & ne sic quidem, sustineri posse, Canisio videatur.

Ex variis adinuentis verior & sicut verborum tenori, sic etiam Juri consentaneus præ aliis est, quem cum *Barbosa n. 15.* ita fere *Strein. n. 1.* reddit, *Qui tacet, in dubio non dissentire, sed consentire præsumitur: dummodo res in se aequaliter dubia, & in contrarium non appareat conjectura:*

conjectura: ut non obscure desumitur ex *can. Si servus 20. pr. dist. 1. § 4. c. Nonne 3. de Præsumpt. Verbis. Alterum tacendū concessit*: ex *c. Continebatur 2. ibi. Sciente & non contradicente conventu, de lra, qua à Pralat. § 1. Solutio 2. ff. Solutio matrim. cujus §. 2. relatum Antonini Imp. re- scriptum est, Filiam, nisi evidenter contradicat, videri consensisse patri. Ratio est; quia in dubio in nobis præsumuntur ea, ad quæ nos ducit affectio & propensio naturalis, *arg. c. Asserie 2. de Præsumpt. § 1. Isti §. §. ff. Quod met. causa gest.* Cum ergo à natura omnibus insitum sit, ut iis, quæ fieri nolumus, contradicamus & dissentiam aliquò modò explicemus, nisi à contradictione aliunde retrahamur aut impediamur, in dubio non dissentire, sed consentire rectè præsumimur, si non contradicamus, sed taceamus.*

3. Confirmantur ista & declarantur exemplis; sic enim Primò filia, si actionem patris de dote sciat, in eam consentire intelligitur, nisi evidenter contradicat, §. 2. *cit.* & si liberorum præsentium nomine parentes matrimonium vel sponsalia contrahant, illi, si his non contradicant, nuptialem vel sponsalitiã contrahunt obligationem, *c. Unico §. ff. de Desponsat. impub. in 6. ipsorum consensum necessario exigentem, can. sufficiat, 27. q. 2. c. ff. de Sponsa duor.* Secundò, si filius patri absentem per literas significet, se quasi ex ipsius mandato mutuam pecuniam recepisse vel recepturum, pater tacens, quasi consentiens, solvere tenetur; si contrariè voluntatis testationem non interponat, *l. Si filiusfamilias 16. ff. ad S. C. Maced.* Tertio, ad collationem beneficii vel honorifici muneris oblationem tacens, id acceptare ex ipsa taciturnitate præsumitur, Zabarell. in *Clement. 1. de Concess. præbend.* Servus quoque, dominò sciente & non contradicente, in clericum

ordinatus liber evadit, *can. Si servus cit.* Quarto, fidejussor à tutore nominatus, si præsens nomen suum in acta referri sine contradictione patiat, perinde tenetur, ut si consensum verbis aliisque signis externis expressisset, *l. Cum ostendimus 4 §. 3. ff. de Fidejuss. & nominat. l. que procuratorem constituit sciens ac tacens procuratoris munus admisisse intelligitur: licet invitatus & non consentiens procurator nemo esse cogatur, l. Filiusfamilias §. §. 1. ff. de Procurat.* Quintò rei Ecclesie vel Monasterii immobilis locatio aliave alienatio solum temporanea consensum exposcit Capituli seu Conventus: eoque sciente & non contradicente facta robor obtinet firmitatis, secundum communem intellectum *c. Continebatur cit.* & universim, quando in collegio aliquid malè geritur aut decernitur, capitularis id sciens & cum posset, non contradicens perinde, ut ceteri collegæ, tenetur; quòd ipsa taciturnitate videatur consensisse, Panormit. in *c. 1. de lra, qua à majori n. 13.* Sextò Prælatus, subditorum suorum graves excessus sciens & cum facile posset, non impediens & negligens correctionem dissolutionis Monasterii, *can. Quid enim 4. Sc. dist. 83.* & pater filio, quem lusui & computationibus indulgere ac pergræcari scit, pecuniam subministrans, omnium malorum inde secutorum reus merito habetur, Strein. *hic n. 2.*

Hæ quidem & similes instantiæ luculentè demonstrant, taciturnitatem non in favorabilibus tantum & utilibus, sed in onerosis quoque ac præjudicialibus causis & cum de damno agitur, pro consensu haberi, & hunc præstari ipsa taciturnitate. Non efficacius tamen hoc deducit, quam contrarium alia non minus clara Juris definitiones probant; cum præsens in sui baptismationem consentire non intelligatur adultus, qui cum loqui posset, ad præ-

K k k k ; vias in-

vias interrogationes tacet, *can. Cum pro parvulis* 77. dist. 4. de *Consecrat.* Tutore, patruo, aut fratre, pupilli, nepotis, aut fratris presentium ac tacentium nomine sponsalia vel matrimonium contrahentibus, isti nuptialem vel sponsalitiā obligationem non contrahunt: nisi intervernerit mandatum, vel consensus verbis, aliōve signo externo fuerit expressus per tradita *Lib. 4. tit. 1. n. 43.* Quin taciturnitatem suam ad juris Ecclesie diminutionem consensum non operari, à Gregorio Papa rescriptum Patrie est *c. Nihil* 2. de *Prescript.* Jure quoque Civili stipulanti præfens ac tacens non consentit, *l. 1. pr. ff. de V. O.* multoq̄e minus in fraudulosam rei suæ contractationem consentit is, cui videnti ac tacenti ea à fure aufertur; cum adversus istum furti actionem consequatur, *l. Si quis* 91. ff. de *Furtis*: imò *l. Filiusfamilias* 8. §. 1. ff. de *Procurat.* cum, procuratorem invitum non dari, responsum esset; subjicitur, invitum decipi non solum eum, qui contradicit: sed eum quoque, qui consensisse non probatur; quo responso taciturnitas pro consensu aperte non habetur.

5. Sed ista vim contra Regulam non habent, si tacentem consentire intelligamus non indiscriminatim in omni, sed *Dubio tantum casu*: & quando in contrarium non est conjectura; cum, si dissentus adsint indicia & conjectura in contrarium, consensum ex taciturnitate non argui, sit exploratum.

6. In contrarium autem conjectura seu præsumptio, imò veritas est, si tacens id, quod agitur, vel ignorat penitus, vel non intelligit, *l. Qui vas* 48. §. 3. ibi, *Qui ignorat, hoc est, qui non consentit* ff. de *Furtis*; quia ignorantis nullus est consensus, *l. Si per errorem* 15. ff. de *Jurisdict.* §. 1. *Nec ignorans* 10. C. de *Donationibus.*

7. Deinde si is, qui aliquid fieri scit,

contradicere non possit, ut aliquando magistratus: qui, licet subditorum suorum excessus sciant, consentire tamen ex taciturnitate non intelliguntur, quando eos impedire, redarguere delinquentes, eisque se opponere sine scandalo aliōve incommodo graviore non possunt, *arg. can. Nervi* 2. ad finem, dist. 13. & *l. Leges* 7. ff. de *LL.* S. Thomas 2. 2. q. 10. art. 11. & Suarez *Lib. 3. de LL. cap. 15. n. 16.* sic etiam subditorum, collectorum à dominis indebitè impositarum gravamina ferentium, taciturnitas pro consensu non rectè habetur; quòd majorum incommodorum metu & dominorum reverentiā potius, quàm consentiendi animò tacere videantur, Klock. de *Contribut.* cap. 7. n. 41.

8. Præterea, quando verba eisque æquipollentiā signa exiguntur ad actūs formam: sicut ad formam stipulationis regulariter verba exiguntur, advertit Alciatus in *l. 1. cit. n. 4. & 7.* vel aliās Jure præscribuntur, sicut in baptizando, qui loqui valet, *can. Cum pro parvulis cit.* & in contrahente matrimonium, *c. Cum apud* 23. in fine, *c. Tua* 25. de *Sponsal. & matrim. c. 1. ibi, Corde & ore consentit*, de *Sponsa duor.* & Concil. Florent. in *Decreto Unionis* §. *Septimum*: & istorum quoque textuum argumentò in sponsalibus desiderantur, ex recepta doctrina D. Thomæ 2. 2. q. 88. art. 1. extra casum §. *fin. c. Unic. cit.* cujus explicatio & ratio disparitatis inter matrimonium & sponsalia, quæ à parentibus liberorum: & ea, quæ à tutoribus, patruis, fratribus, nomine pupillorum, nepotum, ac fratrum presentium ac tacentium contrahuntur, data est *cit. Tit. 1. n. 43.*

9. Demum, quando res sive negotium valde arduum, & consensus valde magni momenti ac præjudicii, vg. status matrimonialis vel Religiosi obligationem inducit, Peckius *hic n. 6. ad finem.*

Quare

10. Quare Regula nihil officit de baptizandorum & nuptiali consensu allegata Canonice definitiones; Neque etiam rescriptum Gregorianum, cum; quia discretè agitur de taciturnitate ad evitandos tumultus & scandala; ac proinde ad consensum præsumptionem fundandam insufficiente: tùm verò; quia, cum Prælati in Ecclesiæ suæ rerum jacturam & diminutionem consentire nequeat expressè, id tacendò non tam velle, quàm nolle præsumi debet, ad excludendam voluntatem peccaminosam, quæ in dubio non præsumitur, *c. fin. de Præsumpt. & l. Merito §. ff. Pro Socio.*


Eandem non afficit ex Civili Jure petita instantia stipulationis; quia, ut jam dictum, hæc verba exigunt pro forma. Neque etiam *l. Si quis est. decisio*; quia id Jure receptum est odiò furis, & ex præsumptione dissensus; quòd suum occupanti & fraudulosè contractanti cedere velle, nemo facillè præsumatur, *l. Cum de indebito §. pr. V. Sin verò. ff. de Probat. Non denique l. Filiusfamilias cit.* quia vi præsentis Regule tacens regulariter consensisse præsumitur ac probatur ex ipsa taciturnitate.

REGULA XLIV.

Is, qui tacet, non fatetur: sed nec utique negare videtur.

SUMMARIUM.

1. Regula hæc pertinet ad interrogationes.
2. Ejus sensus & ratio.
3. In ea subauditur, Nisi interrogatus teneatur respondere.
4. Ratio differentia à Regula præcedente.



E Adem hæc est cum Regula Civili 142. *Qui tacet, non utique fatetur: sed tamen verum est, eum non negare*: quacum proposita à proximè declarata Regula Canonica differt; quòd ista de consensu; præsentem & Civili Regulà de confessione & negatione ex taciturnitate præsumpta sit sermo. Unde utraque hæc Regula pertinet ad interrogationes, quæ ad rei veritatem eliciendam fiunt, *Canisius hic pr.*

Hujus ergo utriusque planus sensus est, *Qui ad interrogationem tacet, nec pro confesso, nec pro negante, sive inficiatore, habetur.* Ratio est; quia inter affirmationem & negationem, confessionem & inficiationem medium est silentium seu taciturnitas: in qua proinde illarum neque una neque altera continetur.

Exempla *Strein. n. 2. cum Dyno n. 7. & aliis desumit ex can. Anteriorum 2. q. 6. & l. 1. §. 3. ff. de Tribut. ad.* Sed male; cum enim horum textuum alterò de sententiæ approbatione, alterò de domini consensu in contractum terri sermo sit, & hunc, vel approbationem illam ante decem lapsum extaciturnitate rectè desumi, negetur, utroque textu exceptiones potius à præcedente, quàm exempla continentur Regule præsentis, & ad interrogationes, quæ ad veritatem eliciendam fiunt, pertinentis, ut cum *Canisio pr. ipse Strein. n. 1. & in Reg. Qui tacet cit. Wissenbach. n. 1. & 2. observant.*

Quin in ea, etiam ad interrogationes relata, subaudiendum est, *Nisi legitime interrogatus respondere teneatur*; quantumvis enim *Titius*, si à *Cajo* creditore extra aut etiam in judicio sine jussu vel approbatione judicis interrogatus, an sibi debeat, taceat, vi Regule præsentis debitum nec fateri nec inficiari videatur, *l. Filius 19. ff. de Interrogat. in jure sac. in judicio tamen à judice, an hæres sit, interrogatus*

rogatus, si taceat, habetur pro confesso, vel potius negante, se heredem esse, & in solidum convenitur, *l. De atate 1 r. §. 4. ff. Ibidem.* Sic etiam, si in iudicio positionibus ab adversario, approbante & respondere iubente iudice, sibi factis respondere sine iusta causa recuset, pro confesso habetur, *c. fin. §. Verum, de Confessis in 6.* cum propter contumaciam & iudicis contemptum: tum verò; quòd sic interrogatus, si respondere absque rationabili causa recuset vel taceat, id facere videatur conscientiam veritatis sibi ad veritatis, vel; quòd non habeat fundamentum sufficiens ad assertionis suae probationem. Simili modò, quide duobus in iudicio sibi objectis unum negat vel excusat, alterum verò silentiò prætermittit, hoc confiteri præsumitur ipsa taciturnitate *c. Nonne 3. de Præsumpt.* quò locò retertur factum Servatoris nostri, cum à Phariseis, esse Samaritanus, & demonium habere, diceretur, posterius hoc diserte negantis, prius verò tacendò confitentis Joan. *cap. 8. v. 49. Glossa in c. cit. v. Tacendò & Barbosa ad banc Reg. n. 2. in fine.*

4. Cur autem præsens ac tacens in dubio consentire: non etiam confiteri vel inficiari regulariter præsumatur, rationem reddere facile non est; quòd, sicut consentire vel dissentire, sic etiam affirmare vel negare liberum & æquè facile utrumque sit. Ex qua causa de aliqua eruenda desperantes plerique ad *l. Non omnium 20. ff. de LL. famotum ignorantia aylum, confugere.* Non etiam *citt. Canisius pr. & Barbosa n. 3.* eam reddentes; quòd consensus sit actus voluntatis acquiescentis: & acquiescere, qui cum verbis aut signis posset, non contradicit, sed tacet, regulariter intelligatur: confessio autem & negatio consistant in assertione veri aut falsi: aliquid autem verum

aut falsum asserere, non intelligatur, qui veritatis aut falsitatis, sive suæ de eorum altero assertionis, non edit signum externum.

REGVLA XLV.

Inspicimus in obscuris, quod est verisimilius, vel quod plerumque fieri consuevit.

SUMMARIUM.

1. *Præsentis Regule cum aliis consensibus.*
2. *Declaratio verborum Verisimile & Plerumque.*
3. *Sensus & ratio Regule:*
4. *Cujus in omni materia est usus.*
5. *Difficultates ei objecta tolluntur.*
6. *Ordo servandus in dispositionum interpretatione.*

IN obscuris sequi Minimum, *Reg. In obscuris 9. ff. & 30. hic:* præsentis eique consona *Civili Regulâ 114.* Id quod verisimilius aut plerumque fieri consuevit, inspicere ac tenere jubemur: quarum Regularum in concordiam reductio expedita erit, si præ oculis habeamus explicationem obscuritatis datam *ad Reg. 30. cit. n. 1.* & quid verisimile sit & plerumque eveniat, intelligamus.

Verisimile dici potest, quòd, rei & actus naturâ, ejus & personarum qualitate & circumstantiis ponderatis, Jure etiam usitque & ratione spectatis, veritati proximum aut vicinum apparet. Plerumque autem, quod in ejusmodi negotiis fieri communiter & ordinariè contuevit. Unde

Præsentis eique consona *Regulâ 114.* in *Pandect.* sensus est, *Quando statuentis aut aliter disponentis mens ac voluntas aliunde perspicua & certa non est, inspicimus & sequimur id, quod res sive actus naturâ, ejus & personarum qualitate ac*

te & circumstantiis ponderatis, jure etiam usque & ratione spectatis, veritati magis conforme & proximum est, vel in similibus negotiis fieri communiter & ordinariè consuevit. Ratio partis Regulæ prioris est; quia verisimilia pro veritate habentur, arg. l. Cum quid 3. ff. Si cert. pet. ut veritatem, & præsumptionem in verisimili fundatam pro se habere, paria reputentur, quamdiu contrarium non apparet; l. Licet 74. ff. de Legat. 1. atque idcirco ex verisimilitudine quasi lege omnes penè leges dirimantur: ad eamque impugnandam non nisi liquidæ & necessariò concludentes probationes admittantur, per tradita à Tiraquello in l. Si unquam 8. C. de Revoc. donat. Prefat. n. 37. & Gratiano Discept. forens. cap. 8. n. 16. Posterioris verò; quia non id, quod perrarò, sed, quod communiter accidit, spectare legum conditores, l. Ex his 4. & l. Nam ad ea 5. ff. de LL. aliterque disponentes & contrahentes facere non solent, nec in dubio præsumuntur, l. Certi 9. §. 2. Ibi, Cum quotidie pecuniam mutuam poscamus, ff. Si cert. pet. Gloila in l. Neque 10. V. Cum nihil, C. de Probat. & Palacios in Rubr. de Donat. inter vir. & uxor. §. 9. n. 6.

4. Ex hac ratione Regulæ usus ferè quotidianus est, & per omnes materias diffusus; cum verisimile & quod plerùmque solet, sicut in conjicienda testatorum voluntate principem obtinet locum, sic & in conjecturanda mente ac voluntate contrahentium maximè valeat: ab eoque omnes penè dispositiones recipiant interpretationem; sic, si quis institutò filio substituat Titium, istius substitutio facta intelligitur sub conditione, Si filius sine liberis decesserit, l. Cum avus 102. ff. de Condit. & demonstr. quod patrem, si de nepotibus cogitasset, absolute filio substituere voluisse, nec verisimile, nec usu re-

ceptum sit, l. Generaliter 6. V. Cum autem C. de Insti. & substit. Et, si quis frumenti scapham quindecim florenis vendidit in loco, in quo floreni imperiales 60. Helueticici verò 40. duntaxat crucigeris contantes usu recepti sunt, inspiciamus verisimile, & iis florenis venditionem celebratam judicamus, quorum quantitas ad frumenti venditi æstimationem propius accedit, Tiraquell. de Rerrat. §. 1. gloss. 18. n. 74. Ita percussione filii à patre correctionis potius quam vindictæ causâ & injuriandi animò factam, in verisimilitudine fundatâ præsumptione judicamus, l. Unic. C. de Emendat. propinq. Demum, ut innumera præteream, etiam mulier mortis metu confugiens ad Monasterium, in eoque aliquot annis perseverans Religionis professionem tacitè edidisse, non præsumitur, quamdiu metus causa duravit; quòd verisimile sit, eam in Monasterio perseverasse ex eadem causa, ex qua id est ingressa, c. 1. de his, que vi meritisve causâ, ubi Innocent. V. Ratum, & Panormit. n. 12.

Ex iis, quæ Regulæ objiciuntur, duo 5. merentur discussionem. Primum est; quòd, cum verba legis deficiunt, deficiat ipsa lex, l. Dies 4. §. 6. ff. de Damno infecto, & id, quod verba sonant, non quòd verisimile tantum est, sit inspiciendum; cum propositum mente retentum nihil operetur, l. Si repetendè 7. C. de Condit. ob caus. dat. & calus non expressus promisso habeatur, l. Commodissimè 10. ff. de Liber. & postb. Alterum; quòd probatio necessario concludere debeat: nec sufficiat, rem sic esse posse, sed eam sic esse, ostendere sit necesse, l. Matrem 17. C. de Probat. & l. Non hoc 4. C. Unde legitimi.

At neutrum tanti ponderis est, ut contra Regulam aliquid possit. Primum partim; quia non nuda legis verba, sed mentem quoque legislatoris, sive, quid verisimi-

verisimiliter actum sit, attendi oportere, aperte docemur, *l. Scire 13. ff. de Excusat. eorum. c. 2.* Modestinus, *Est, inquit, maximè verba legis hunc habeant intellectum, tamen mens legislatoris aliud vult: partim verò; quia tritum illud, Ubi verba legis deficiunt, deficit ipsa lex, sic exaudiendum est, Nisi juris proviso aliud sequi jubeat, Tiraquell. l. cit. n. 35.* In obscuris autem verisimilia & plerumque contingentia inspicere ac sequi, legalis & canonica proviso, imò Regula nos docet. Posterius; quia probatio concludens solum esse debet, quando rei vera & perfecta probatio haberi potest. Quando autem talis haberi nequit, sufficit præsumptiva, præsertim fundata in verisimilitudine & iis, quæ communiter contingunt, Baldus & Salicet. *l. Non hoc cit. ille V. Revoco, iste V. Circa, & Gaill. Lib. 2. Observat. 97. n. 6.*

6. Pro præsentis & Reg. 114. cit. cum Reg. 9. & 30. supra declaratis conciliatione probe advertendum est, utrasque subsidiarias esse; cum, quando disponentis cujuscunque mens ex dispositionis tenore aut aliunde explorata est, quæstio voluntatis & undecunque petita interpretatio non admittatur, *l. Ille 25. ff. de Legat. 3.* & supervacanea perinde sit, ut lucernæ illatio ad diem meridianum, clarissimo solis lumine illustratum.

Quando autem ea perspicua & certa non est. Imprimis attenditur, quod à disponente, vel inter contrahentes est actum, *l. Semper 34. pr. ff. hic. l. Emprioni 3. & l. Cum quid 4. ff. de Rob. credit.*

Si de eo non constat, secundum Reg. 114. & præsentem inspicere & sequi oportet, quod verisimilius, & in ejusmodi negotiis fieri plerumque consuevit. Quid autem verisimilius sit, ex consuetudine usive loquendi ac scribendi ipsius disponentis: ex consuetudine loci: ex prævio

aut dispositioni subiecto tenore instrummenti: ex conditione, qualitate & affectione personarum, inter quas negotium est gestum: ex rerum inter se v.g. pretii cum merce comparatione & similibus circumstantiis aliis desumi potest.

Si ex his disponentis mens verisimiliter non appareat, ad verborum significationem propriam recurendum est, *l. Non aliter 69. ff. de Legat. 3.*

Demum, si, his omnibus consideratis, disponentis voluntas obscura remaneat, Reg. 9. Reg. 30. cit. & id, quod minimum est, sequimur: nisi hoc quoque non appareat, & dispositio propter nimiam obscuritatem & incertitudinem pro irrita sit habenda.

REGULA XLVI.

Qui in jus succedit alterius, eò jure, quò ille, uti debet.

SUMMARIUM.

1. Similis huic Regula Civilis.
2. Successor alius Universalis est, alius Particularis.
3. Sensus Regulae:
4. *Que in defuncti herede:*
5. *In successore in Regno vel Principatu,*
6. *Vel in Pralaturâ aliâve dignitate Ecclesiastica:*
7. *Et in singulari etiam successore procedit:*
8. *Mors Ultimam defuncti voluntatem non solvit.*
9. *Obligatio ex maleficio non transit in heredes.*
10. *Difficultates Regulae objectæ,*
11. *Et soluta.*

Eadem

1. **E** Adem à Paulo JCT.º sic traditur, *Qui in jus vel dominium alterius succedit, jure ejus uti debet: quæ est 177. in Pandectis.*
2. Est autem Successor, ut verbis *In jus vel dominium* JCT.º insinuat & in *Reg. Cùm quis 14. pr.* monui, alius Universalis, alius Particularis. Universalis dicitur, qui in Universum sive omne jus defuncti succedit, ejusque personam representat: ut hæres, *l. Quotiens 9. §. 12. ff. de Servit. 2. Instit. de Hæred. instit.* sicut & bonorum possessor & fideicommissarius, qui in omni causa hæredis locò habetur, *l. Non minus 20. §. 3. ff. de Hæred. Petit. l. Prator 117. §. 1. In pari 128. ff. hie. sive hæres ex asse, sive ex parte tantùm sit; quod enim juris in toto, idem in qualibet ejus parte est, l. Quæ de tota 76. ff. de R. V. & pro ea parte, pro qua hæres est, representat defunctum, pro eaque in prohibitis & permisis eodem jure utitur, quo ex asse hæres pro asse: licet in partibus cæteris extraneus reputetur, *l. Adulta 6. C. de Hæred. instit. & ibi Salicetus.* Particularis sive, ut aiunt, Singularis Successor est, qui in certa aliqua re vel jure singulari succedit: ut legatarius & qui ex donatione, cessione, emptione, permutatione &c. aliquid consequitur, *§. fin. Instit. Per quas pers. acquir.**
- Successori universali affinis valde est, qui alteri in Regno, Principatu, Prælatu, Dignitate &c. succedit.
3. Omnibus his successoribus accommodatus præsentis & cit. *Regule Civilis* sensus est, *Qui in alterius jus dominiumve succedit, eodem, quò autor, sive is, in cuius jus vel dominium succedit, agendi vel excipiendi jure utitur, Dynus ad banc & Decius ad Reg. Civilem cit. uterque num. 1.*
4. Et quidem, si successor universalis sit, jus agendi, tam personale quàm reale
- & mixtum atque in rem scriptum; quod defuncto competeat, etiam competit ipsi: & jus agendi, quod competeat contra defunctum, etiam competit contra ipsum, *pr. Instit. de Perpet. & temp. act.* Et contra ipsi & contra ipsum competit jus excipiendi, quod defuncto, vel contra ipsum competeat, *Dynus cit. n. 10 & 2. usque ad eò, ut adversus hæredem nomine hæreditariò conventum doli actio detur, l. Hæredem 13. ff. de Dolo, & ipsi noceat mala fides defuncti; ut, licet ipse in bona sit, uti capere tamen nequeat rem, à defuncto malà fide possessam & ad se devolutam, l. Cùm hæres 11. ff. de Diversi. temp. prescript. & §. Diutina 7. Instit. de Usucap.* Eodem modò defuncti factò hæres contravenire ne ex propria quidem persona potest; cùm, si mater domum, aliavè bona filii paterna vendiderit, filius, si hæres esse voluerit, domum & bona illa paterna per eam vendita vindicandò revocare ne ex propria quidem persona possit: & si contravenire velit, doli mali exceptione valeat submoveri, *l. Cùm à matre 14. C. de R. V. & si Titius rem alienari testamentò paternò prohibitam nihilominus extra familiam alienarit, filius ab eo hæres institutus alienationem revocare nequeat asserendò, se in re alienata fuisse substitutum, l. Filius familias 114. ff. de Legat. 1.* Ratio omnium est; quia Juris fictione hæres una eadèmq; persona reputatur cum defuncto, *Novell. 48. pr.* una autem eadèmq; res vel persona diverso Jure non debet censeri, *c. Cùm in tua 30. de Decimis & l. Eum qui 23. pr. ff. de Usucap.*
5. Simile ferè agendi excipiendique competit successoribus in Regno vel Principatu; cùm ab antecessoribus suis in ita Pacis fœdera aliàsque pactiones publicas, & cum subditis etiam suis in itos contractus nequeant revocare: sed iis uti & in-

seudationibus per antecessorem factis stare, etiam ipsi teneantur; quod si iis stare vel contravenire in ipsorum esset potestate, ab humano commercio facile submoverentur; quod non facile esset, qui tantò jacturæ periculò cum ipsis contrahere vellent.

6. Prælati quoque tam Secularis quàm Regularis Ecclesiæ vel Monasterii sui nomine agendi excipiendique jus transit ad successorem; quòd, sicut hæres, *l. Hæreditas 62. ff. de R. J.* sic ipse quoque in antecessoris sui jus succedat, *Glossa in c. V. Prædecessore, de Solut. & ibi Panormit. n. 1.* Unde ab antecessore sua gesta rata habere, *arg. c. Quoniam 14. de Offic. deleg. pactis Ecclesiæ vel Monasterii sui nomine initis stare, can. Eleutherius 18. q. 2. eòdem nomine contracta debita, c. 1. cit.* & advocato pro illius defensione legitimè constitutam pensionem solvere tenetur, *Zabarella in Clement. 2. de Reb. Eccles. alien. q. 10.* Ejus quoque officii est, etiam re adhuc integrâ, exequi rescripta Apostolica ad antecessorem suum Prælaturæ intuitu directâ, *c. Quoniam cit.* cum vi ejusmodi rescripti contra antecessorem suum impetrati etiam ipse valeat conveniri, *c. Dilecti 17. de Foro compet.*

7. Si verò successor sit singularis, v.g. legatarius, donatarius, emptor, factâ rerù traditione, eas concernentia agendi excipiendique jura realia, quæ competebant auctori, competunt etiam ipsi; quia etiam in hujusmodi successorem res transferuntur cum sua causa, quæ apud autorem fuit & esset futura, si apud eum permaneret, *l. Alienatio 67. ff. de Contrab. empt. & l. Traditio 20. ff. de Acquir. rer. dom. cujus: §. 1. Ulpianus ait. Quoties autem dominium transferitur, ad eum, qui accipit, tale transferitur, quale fuit apud eum, qui tradidit. Si servus fuit fundus cum servitutibus transit: si liber, ut fuit: sic*

enim cum prædico vendito ac tradito aquæ ducendæ servitus ad emptorem transit, *l. Si aqua ductus 47. ff. de Contrab. empt.* & successor in loco istius immunitas & quæcunque privilegia ipsi profunt, *l. 1. §. 44. ff. de Aqua quovis, & ff. & l. Formæ 4. §. 3. ff. de Censibus.* Secus est de jure & obligatione merè personali; hæc enim sine cessione ad successorem singularem non transeunt: sed sequuntur personam, cum eaque extinguuntur, *l. 1. §. 16. ff. ad S. C. Trebell.* Hinc certè est; quòd legatario, donatario, emptori &c. non noceat mala fides legantis, donantis, vendentis, *l. An vitium 5. ff. de Divers. temp. prescript. & §. Quod autem 7. Instit. de Usucap. juxta dictâ Lib. 2. tit. 26. n. 49.*

8. Supervacanea hæc de jure ad successores transmissio differtatio videri inde potest; quòd mors omnia solvat, *Novell. 22. cap. 20. pr.* Sed malè; quantumvis enim hoc ita sit quoad agendi excipiendique voluntatem inexistentem defuncto, & omnia ferè tollantur, quæ ei inhaerent; cum, subiecto perempto, ejus virtutem & qualitates interire, sit necesse: ea tamen, quæ supræ voluntatis elogio defuncto placuerunt, à morte robur accipiunt, & confirmantur, teste Apostolo ad Hebræos *cap. 9. v. 17.* Ex contractibus etiam, qui consensu perficiuntur, duo tantum, re adhuc integrâ, morte dissolvuntur, scilicet Mandatum & Societas, exceptis tamen etiam casibus *l. Qui negotia 34. §. 1. ff. Mandati & l. Actione 65. §. 9. & 10. ff. Pro Socio.* Reliqui hujusmodi contractus omnes, uti & Stipulatio, & qui re perficiuntur, ad hæreses transeunt, Precariò duntaxat exceptò, *l. Cum precariò 17. §. 1. ff. de Precario, Cujacius apud Barbosa Lib. 11. Axiomat. cap. 10. n. 11.*

9. Neque cum hæredis in omne jus defuncti successione pugnat; quòd ex istius maleficio ortæ obligationes non transeunt in

ant in heredem; quia hoc receptum est, ne ulterius progrediatur poena, quam delictum, *L. Sancimus 22. de C. Penis*. Quatenus tamen ex defuncti delicto ad heredem pervenit, eatenus etiam ipse tenetur & convenitur, *L. In heredem 26. ff. de Dolo*; cum, quod turpiter & scelere quaesitum est, ad ejus compendium non debeat pertinere, *L. Quod diximus 16. §. 1. ff. Quod met. causa gest. ne alieno scelere dicitur, L. Unic. C. Ex delict. defuncti*. Quin, si iudicium contra defunctum lisque super crimine contestata sit, haeres quoque in solidum obligatur, *L. cit. §. 1. in fine, Instit. de Perpet. Temp. act. quod litis contestatio habeat effectum quasi contractus, per quem litigantes ad id, quod per sententiam definitum fuerit, perinde obligantur, ut si verè contraxissent, L. licet 3. §. 11. ff. de Pecul. Gaill. Lib. 1. observat. 74. n. 6.*

10. Non eòdem, quò autor, sed aliquando majori, aliquando minori jure uti successorem permissum, efficacius suadent apertè in eam rem Juris definitiones; primò enim donationem ob ingratitude revocare donator, non etiam haeres potest, *c. fin. de Donat. §. l. fin. C. de Revoc. donat.* Secundò, maritus in dote privilegiatus est; ne conveniatur ultra id, quod commodè facere potest: ejus autem haeres dotem totam solvere tenetur, *l. Maritum 12. ff. Solutio matrim.* Tertio, licet creditori suo particularem solutionem facere nequeat debitor defunctus, id tamen permissum est ejus heredibus; cum pro parte sua singuli conveniantur, *l. Planè 3. ff. Famil. heredit.* Quarto eòdem prorsus modò, licet legatum pro parte acceptare, & pro parte repudiare nequeat legatarius, *l. Nam absurdum 7. ff. de Bonis libert.* id tamen possunt plures ejus haeres; ut eorum unus partem suam acquirat, alter suam

repudiet, *l. Legatarius 38. pp. ff. de Legat. 1.*

Sed etiam hæ instantiæ, autorem & successorem diverso Jure centeri, vel uti, non persuadent. Prima desumpta ex *c. §. l. fin. cit.* quia donationis revocanda jus heredi ideo denegatur; quòd injuriam à donatario ingrato sibi illatà defunctus, peccatorum suorum venià à Deo faciliùs obtinenda fiduciis, remisisse ex ipsa tacurnitate praesumatur, *Glossa in c. fin. cit. V. Et enim, juxta dicta Lib. 3. tit. 24. n. 32.* jus autem semel remissum ab eo etiam, qui remisit; ac proinde etiam ab herede in iudicium deduci amplius non possit, *can. Quia periculosum 7. q. 1. §. l. Quæritur 14. §. 9. ff. de Edilit. Edict.*

Altera; quia illud mariti privilegium, cum merè personale sit, ejus personam non egreditur, *l. Quia tale 23. ff. Solutio matrim. §. Reg. Privilegiu 7. hic: sicut eam non egreditur & haeredit non afficit ratio honestatis ac reverentiæ maritalis, virum ultra id, quod commodè potest, cogi, & alimentis quoque privari non permittentis, Zasius in l. Quia tale cit.*

Tertia; quia haeres, quatenus est haeres, & defuncti personam repræsentat, eòdem jure utitur, quò defunctus; cum enim pro parte tantum haeres sit, & pro parte solum teneatur, pro parte solvendo totum, quod debet, etiam ipse solvit non minus, quàm id facit defunctus; cum, quod debet, totum solvat.

Postrema; quia legatarii heredibus id Jure permittitur ex præsumpta voluntate defuncti: qui, sicut ab eodem legatario legatum pro parte acceptari & pro parte repudiari noluit; quòd testatoris iudicium ab eo in parte comprobati & in parte everti, conveniens, non sit. *l. Nam absurdum cit.* sic verisimiliter, pluribus legatarii heredibus divisionem, si de ea cogitasset, permissurus fuisse, praesumitur.

2. *Concertationi* 10. de *Appellat* in 6. Ut *Lib. 2. tit. 28. art. 7.* est dictum, & obser-
sicut ea permiffa est pluribus legatariis;
ut, unò sibi relictum repudiante, alter si-
bi relictum valeat acceptare; quòd inter
plures difficiliùs communio quam, divisio
habeat locum, *Zafius in l. Legatarius tit.*
n. 3. & Peckius hic n. 11. ad 9. Accedit;
quòd, etsi legatarius sibi relictum pro
parte acceptare & pro parte repudiare
non potuerit, totum tamen semel acce-
ptatum diuideret, & unà parte retentà
alteram aliis cedere vel tradere non pro-
hibeatur; ac proinde, quòd hæredibus, ipsi
quoque fuerit permiffum.

REGULA XLVII.

*Præsumitur Ignorantia, ubi Sci-
entia non probatur.*

SUMMARIUM.

1. *Sermo est de ignorantia Facti.*
2. *Sensus & ratio Regule:*
3. *Cui in omni materia est locus.*
4. *Instantia, ex Jure deprompta,*
5. *Eam firmant ac declarant.*

1. **F**Acti, non Juris ignorantiam excu-
sare ac prodesse, liquet ex jam de-
clarata *Regula 13. in 6.* cujus, quia
præfens ulterior quædam expli-
catio est, ipsa quoque de Facti, non de Ju-
ris ignorantia procedit, *Dynus & Strein
hic uterque n. 1.* Unde

2. Illius sententiæ contentaneus hic pro-
positæ *Regulæ* sensus est, *Ea, qua in facto
confistunt, in dubio quis ignorare præsu-
mitur: nisi ejus scientiam habuisse probe-
tur, aut certè factum proprium, pub-
licum, valde ponderosum, aut tale sit,
quòd scire & intelligere ex officio debuit &
mediocri diligentia adhibita potuit: ut
in ignorante locum habeat Regula, Non*

*potest esse Pastoris excusatio. Si lupus ovem
comedit & pastor nescit: quæ est S. Gre-
gorii M. & decima ex relatis à Grego-
rio IX.*

Ratio *Regulæ* sic explicatæ est;
quòd eorù, quæ extra nos sunt, scientia no-
bis non congenita, sed acquisita: & fa-
cta hominum penè infinita sint; ut ple-
rumq; etiam callidissimos latere soleant,
l. In omni 2. ff. de I. & F. I. ut proinde
in dubio, sicut ipsa facta, *In bello 12. §.*
2. ff. de Captiu. & postlim. sic etiam
factorum alienorum, quæ publica aut
valde ponderosa non sunt, & scire quis
non tenetur, scientia non præsumatur,
eamque acquisitam, sit probandum. 3.

Atque hæc præsumptio non solum
ætati minori & sequiori ac fragiliori se-
xui: nec militibus duntaxat & rudibus,
in quibus ipsius Juris ignorantia tolera-
tur: sed aliis quoque, & in humanis
negotiis omnibus patrocinatur usque ad-
dèd; ut, seruum suum militiæ esse adscri-
ptum, dominus, *l. Super servis 6. C. Qui
milit. pos.* se tutorem constitutum, ipse
tutor non scisse, *l. Hoc autem 6. ff. de Pe-
riculo tutor.* & Princeps etiam statuta à
communi Jure deviantia ignorasse præsu-
matur, *c. 1. de Constitut. in 6.* Hinc leg-
gatario, cui rem v.g. fundum alienum
Titius legârat, fundum ejusque æstima-
tionem ab hærede petenti imponitur o-
nus probandi quòd, fundum esse alienum,
Titius sciverit, *l. Verius 21. ff. de Pro-
bat.* luculentò argumentò; quòd, eum
esse alienum, Titius ignorasse præsumatur,
si id scisse non probetur. Sic etiam pars
litigans, à judicio non contumaciter ab-
sens, ignorasse præsumitur, in eo contra
se latam sententiam definitivam; ut, nisi
ejus contra se latæ scientiam habuisse pro-
betur, decendii, à die non latæ, sed no-
tæ sententiæ currentis, lapsus ipsi fatalis
non sit *l. 1. §. fin. ff. Quando appell. sit &
vat Gaill.*

vat Gaill. *Lib. 1. observat. 139. num. 7.*

4. At, sicut ista Regula commendat usum, sic ei advertatur necessitas probationis, ut ignorantia prosit; cum istius nuda allegatio non admittatur, sed probatio postuletur ab iis, qui asserunt, se ignorasse, electum esse inidoneum, *c. Innovuit 20. de Elect.* Imò ejus non qualiscunque, sed liquida probatio exigatur ab eo, qui, defunctum fuisse surdum se nescisse, ait, *l. Si tutor 5. C. de Periculo tut.* eandemque ignorantiam propriò juramento probandi onus imponatur, *c. Nulli 8. de Elect. in 6. c. Ultra 55. de Test. & attest. c. fin. Qui matrim. accus. & c. Si verò 4. de Sent. excommunicat.*

5. Verùm ista, licet Regulam primò intuitu directè impetant, attentiori tamen mentis oculo ponderata relinquunt intactam; cum eà ignorantiam præsumi asseratur *In dubio*, seu quoties eam allegantis fidem scientiæ probatio, aut fortior præsumptio, vel suspicio vehemens non elidit: sicut accidit textibus adductis: *c. Innovuit & c. Nulli cit.* quia electores ex officio suo & diligenter inquirere tenentur in vitam, mores, scientiam, qualitatem & habilitatem personæ eligendæ: in iis autem, qui in aliquam rem tenentur inquirere, ejus scientia præsumitur; ut ignorantiam allegantibus incumbat onus probandi, *arg. Reg. Quamvis 10. h. l. in c. Innovuit cit. Glossa V. Ignorantiam, Panormit. n. 9. & 21. Laiman n. 6. l. Si tutor cit.* quia valetudinis & qualitatum personæ sanguine sibi conjunctæ noticiam quis habere ex communi usu præsumitur; ut proinde ab eo, qui ignorantiam præterdit, hanc probari ad præsumptionem illam elidendam sit necesse, *Peck. ad hanc. Reg. n. 8. d. 4. c. Ultra cit. & Nouell. go. cap. 4.* quia ex quarto iterata petitione productionis testium oritur suspicio ac præsumptio, eam pe-

tenti antè productorum testium attestaciones innovasse: & quia iis intentum suum non probari advertit, alios corruptos producere velle. Vnde ad eorum productionem quartam non admittitur, nisi antè productorum depositiones sibi non innovasse &c. juramento confirmet, & suspiciõem illam purget, ut *inc. In causis 15. de Test. & attest.* notant. Panormit. n. 1. & Gonzalez n. 5. Simili modò *c. fin. cit.* ad accusationem matrimonii, postquam hoc in Ecclesiæ facie est contractum, quis non admittitur: nisi impedimentum, accusationis suæ fundamentum, antè ignoratum juret; propter præsumptionem scientiæ & calumniæ, militantis contra eum, qui denuntiationum ab Ecclesia factarum tempore tacuit, & purgandam per juramentum, *ut in c. cit.* observant Panormit n. 2. Alexand. de Nevo n. 4. & Vivianus §. *Vel juret.* Demum à clerico etiam ignorantia clericatus personæ, cui violentas manus iniecit, probanda est, *c. Si vero cit.*; propter præsumptionem scientiæ ei adversantem & ortam ex eo; quòd percussus pro clerico publicè habitus sit.

REGULA XLVIII.

Locupletari non debet aliquis cum alterius injuria vel jactura.

1. Sensus propositæ etique consona Regula Civilis.
2. Ratio utriusque.
3. Et latè patens usus.
4. Publica utilitatis intuitu introductæ præscriptioni.
5. Et aliæ instantiæ Regula objectæ.
6. Ab ea sunt exceptiones.

Locupletior cum alterius jactura fieri intelligitur non solum is, qui cum ejus jactura accipit aliquid, aut retinet, suòque patrimonio adiciat

adiicit: sed is etiam, qui per res alienas, iis abutendò, utendòve vel communi oneri solas subiciendò, integras servat, aut defendit suas, *l. Si ipsa 18. ff. Quod met. causà gest. Et in pupillo 47. ff. de Solut.* & is quoque, qui vel se ab alterius obligatione liberavit, vel alterum sibi obligavit, *l. Si cum mulier 50. ff. de Donat. inter Vir. & Uxor.*

Ex his omnino perspicuus est sensus Regulæ propositæ & 206. *Civilis*, cuius tenor est, *Jure Natura aequum est, neminem cum alterius detrimento & injuria fieri locupletiores.* *Natura*, ait Pomponius JCT.^{us}; non Civili duntaxat aliòve humano Jure: quòd non facundè magis quàm solidè declarans Tullius, *Hominem inquit, hominis incommodò suum augere commodum, magis est contra Naturam, quàm mors, quàm paupertas, quàm dolor, quàm cætera, quæ possunt aut corpori accidere aut rebus externis.*

2. Ratio est; quia Juris Justitiæque prima & generalia præcepta sunt, alterum non lædere & suum cuique tribuere, *L. Justitia 10. ff. Et S. Juris 3. Instit. de J. Et J.* quibus proposita lex Naturalis inter homines servandam docet æqualitatem; ut cuique relinquatur ac tribuatur, quod suum eive debitum est. Quæ æqualitas cum non servetur, si ideò duntaxat, ut millena unus acquirat, alter totidem debeat amittere, iisque privetur; itaque, unus cum alterius jactura vel injuria locupletior evadat, locupletatio ita facta deviat à Jure Naturali. Hinc profectò est, quòd potior ratio habeatur & favorabilior conditio sit de damno vitando, quàm de captando lucro certantis, juxta illud memorati ICT. *In eo, quod vel is, qui perit, vel is, à quo peritur, lucri facturus est, durior causa est, minoru, L. In eu 33. ff. hie.* Hinc etiam est; quòd privilegia & immunita-

tes à Summo Pontifice alicui concessas in dubio sic exaudiamus; ut vel nullum vel quàm minimum præjudicium cuiquam afferant, *can. De Ecclesiasticis 25. q. 2. Et c. Quid per novale 21. de V. S. verbis aliquando etiam improprie acceptis, Suarez Lib. 8. de LL. cap. 27. n. 9. Et 10.*

Sic firmata Regulæ usus generalis est; cum ea non solum in majoris ac perfectæ ætatis viris procedat: sed in minoribus quoque ac pupillis, quibus, si adversus contractum vg. emptionem fundi aut retractum restitui petant, extraordinariò hòc remedio ita succurritur; ut, ne cum alieno detrimento ditescant, ex fundo perceptos fructus restituere teneantur, *L. Pupilli 6. pr. ff. de Negot. gest. Et L. Si pupilli 6. ff. de Solut.* Eidem locus est in Ecclesia & Monasterio; licet enim, quando à Prælato facta rei immobilis vg. prædii alienatione læsa sunt, adversus contractum restituantur, & prædium recuperent, pretium tamen, si extat, vel in suam utilitatem versum esse probetur, emptori restituere tenentur; ne cum aliena jactura locuplentur, Alexander. *Lib. 3. consil. 4.* In Republica, quæ, cum eodem iere, quò pupillus, minor & Ecclesia, Jure censetur, *L. Republicam 3. C. de Jure Republ.* ex privatorum damno & gravamine lucrum querere non debet. In Principe & fisco; cum Trajani & Imperiali majestate dignissima vox sit, Principem epusque filicum henis instar non esse, oportere; neque, ut, istò crecente, artus cæteri contabescunt, sic ipsum ex absorptis privatorum fortunis intumescere, atque ex aliena calamitate compendia sectari, *L. 1. C. de Naufrag.*

4. Adduci quidem possunt ac solent exempla locupletationis cum jactura aliena permixta; cum alienarum rerum usurpationes ac præscriptiones introductæ Jure,

Jure, eodémque approbatæ & provinci-
rum penè omnium moribus receptæ sint
proscriptiones & confiscationes bono-
rum, atque etiam à Principe tam Eccle-
siastico quàm seculari concedi non rarè
soleant privilegia, detrahentia alienæ u-
tilitati. Sed hæc introducta legibus &
usu recepta sunt ex causa necessitatis &
utilitatis publicæ; cum rerum dominia
certa, & lites non immortales esse, Hæ-
reseos, læsæ Majestatis, perduellionis
aliorumque atrocissimorum criminum
reos coerceri & bonorum ademptionem
pati, bene meritis concedi privilegia &
immunitates, publicè interfit: ex causa
autem necessitatis vel utilitatis publicæ
Principem aliisque Magistratus supre-
mos disponere de bonis subditorum, eæ-
que uni ablata in alium legali aliavè or-
dinatione transferre posse, DD. com-
munis & Lib. 1. tit. 2. à n. 49. stabilita sen-
tentia sit.

5. Neque potentiores contra Regulam
sunt decisiones *L. Cum putarem 36. ff. Famil. hercisc. § L. In contradibus 14. pr. C. de Non numer. pec.* quarum priori,
ad divisionem hæreditatis tanquam co-
hæres admitti per sententiam jussus, e-
tiam si postea constet, ipsum cohæredem
non fuisse, partem tamen cum hæredis
jactura acceptam restituere non tenetur;
ex posterioris decisione creditor mutu-
um, quod non dedit, repetere potest, si
id acceptum testetur Chirographum de-
bitoris, qui hoc intra biennium non re-
petiit, & de pecunia non numerata non
exceptit. Expedita enim ad hæc respon-
sio est; quia imprimis in foro animæ il-
le partem, quam ex divisione malâ fide
consecutus est, vero hæredi tenetur re-
stituere: ille verò mutuum, quod non
dedit, repetere non potest. Deinde in
externo foro creditor mutuum repetere
permittitur ex ejus verè dati præsumpti-

one & ad excludendas fraudes debitorum;
qui non numeratæ pecuniæ exceptione
creditores facillè eluderent, si ejusmodi
chirographis post biennium fides non ad-
hiberetur. Ad hæreditatis quoque di-
visionem admitti per sententiam jussus
acceptam restituere non tenetur propter
authoritatem rei judicatæ, quæ pro ve-
ritate habetur Juris & de Jure præsum-
ptione, directam probationem in contra-
rium non admittente: & rei dominum
facit, qui non fuit, si malâ fide non li-
tigavit. Demum *ll. cit.* dispositio spe-
ctat utilitatem publicam; cum, malitio-
rum hominum occurri fraudibus, de-
sidium negligentiam castigari, & litibus
aliquando finem imponi, Republicæ vel
maximè interfit: publicæ autem utili-
tatis causâ privatorum res ab uno in al-
terum transferri posse, ex dictis con-
stet.

Ad allegata iisque similia Jura ullâ
responstone opus non foret, si hoc locâ
propositæ Regulæ expositio à *cit.* Regu-
la Civili peteretur: & dictioni *Vel* par-
ticula *Et* substitueretur: vel ei non, quem
præferret, disjunctiva, sed copulativa sig-
nificatio tribueretur cum Glossa *in cit.*
Reg. Civilem; quia lucrum, quod vi *ll.*
cit. cum aliena jactura percipitur, illam
cujusquam injuriam non continet hęc i-
psò; quod ex Juris dispositione perci-
piatur, *L. Jusse 11. ff. de Acquir. posses.*
Cui hæc Glossæ interpretatio cum Dyno-
bio & Decio *in Reg. Civil. cit. n. 2.* non
arridet, fatendum est *ll. cit.* & ex Jure de-
promptis instantiis omnibus contineri
exceptiones, publicæ utilitatis intuitu in-
troducitas.

REGVLA XLIX.

*In Pœnis benignior interpreta-
tio est facienda.*

M m m m

SUMMA.

SUMMARIUM.

1. Sensus hujus eique consona Regula Civilis:
2. Quae in dubio & variè locum habent.
3. Ratio utriusque.
4. Et solutio utriusque objectionum.

1. **E**Adem Civili Jure prodita est *l. Fatum 155. ff. hic*, cujus §. fin. Paulus I.C.T.^{us} ait, *In poenalibus causis benignius interpretandus est.*

Sensus utriusque est, *Quando dubium est, quoniam ex duabus vel pluribus poena delinquenti infligenda sit, aut verba legis ambigua, ut in mitiorem & severiorem sensum trahi possint, mitiorem ac benigniorem sequi oportet; ut interpretatione poenae legum molliantur potius, quam exasperentur, l. Interpretatione 44. ff. de Poena.* Quando inquam, *dubium est*; quia, si delicto certa Jure imposita sit, nullus conjecturae & interpretationi locus, *l. Continuus 137. §. 2. in fine. ff. de V.O.* sed ea, quae imposita est, nec mitior à judice, Principe inferiore, infligenda; ne lege clementior sit, contra *Novell. 90. cap. 10.* & egrediatur limites sibi concessae potestatis, non solum facti, sed ipsius Juris quaestionem sibi vendicandò, contra Regulam *l. Ordine 15. ff. ad Municipal.*

2. Stante itaque dubio, si circumstantiae admittant, ex duobus iudicibus unò, reum condemnandum, alterò absolvendum pronuntiant, posterior praevalet: ex variis poenis, eidem delicto alternativè impositis, mitior & temporanea perpetuae praefertur: poena amputationis manus de sinistra, aut, si quam habet, arida, tanquam minus necessaria & utili: & capitalis de minori & civili potius quam naturali morte exauditur: poena ferendae potius, quam ipso Jure latae sententiae ef-

se, judicatur: in poenalibus nomine venditionis non veniunt contractus alii, neque haereditas haeres nomine haereditis, *Decius in §. 2. cit. à n. 4.* itaque accipitur occasio, quae praebet benignius responsum, quod idem Paulus consulit *l. Rapienda 168. ff. hac Rubr.* Demum poena uni parti vel articulo conventionis constituta non trahitur ad aliam, & imposita uni delicto ad similia non porrigitur: nisi unum alteri Jure omnino aequiparetur, vel delictum aliàs maneret impunitum, vel aliud poscat Ecclesiam, aut animam favor, vel manifesta ratio suadeat, *cit. Dynus à n. 10. & Vivianus hic.*

Ratio Regulae est partim, quia *Odia vestringi, favores autem convenit amplari*, ut habet *Reg. 15. ex declaratis*: poenas autem & poenalia odiosa esse, exploratius est, quam ut probationem exigat, vel admittat: partim verò; quia semper in dubiis benigniora praefenda sunt, *l. Semper 56. ff. hic*, non solum; quod id humanius & excellentius pietate, secundum Glossam *l. cit. V. Benignior*: sed cautius tutiusque; sit & minus periculosum, cum, si mitiori punitus iterum delinquat, severiori animadversioni in eum aliquis; vix ullus, saepe nullus poenitentiae proficuae locus sit, quando durior partem secutus iudex mitiorem meritum, vel omnino innocentem, poenam graviorem, praesertim capitali, afficit.

Neque, ad duriora in poenalibus praefenda, judicantem movere debet primò; quòd in gravioribus delictis non amplecti benignitatem, sed severitatem legum subsequi, doceatur *l. Perspicendum 11. pr. ff. de Poenis*; quia hanc non antecedere in durior partem trahendo: sed subsequi, id est, quando certa poena lege definita est, eam, non aliam imponere jubetur: idque non simpliciter, sed ut *l. cit.* dicitur *cum aliquo temperamen-*
to be.

to benignitatis: quò modò severitatem legum sublequitur, qui in dubio benigniorem earum interpretationem præfert severiori.

Neque secundò; quòd c. & §. fin. *De lite non contest.* ea poena decernatur, *Qua magis timeri debeat;* quia §. cit. agitur de rei contumaciter absentis inobedientia: quæ, cum peccatum & animæ malum sit, ad eam frangendam ea mediâ, quæ magis timentur & efficaciora sunt, meritò præferuntur; quòd ita certius citiusque consulatur animæ, cuius in iudiciis Ecclesiasticis præcipua ratio habetur: & si præ aliis profutura iudicantur, duriora remedia mitioribus præferuntur, Felinus in c. fin. de *Præsumpt.* n. 11. & Menoch. *Lib. 6. Præsumpt.* 2. num. 40.

Ex eadem ratione Sacros Canones, excommunicationis mentionem simpliciter faciente, in dubio de majori exaudimus, c. *Si quis §. de Sent. Excom.* & qui hæc censura semel ligatus est, in dubio de absolute, hanc non consecutus, sed illius vinculo adhuc ligatus præsumitur; ut, ei collatâ absolute, salutem animæ certius consulatur, Menoch. *Lib. 1. de Præsumpt.* §. 29. n. 18. & Haunold. *Tom. 5. de J. & J. tract. 4. n. 637.*

REGULA L.

Actus Legitimi conditionem non recipiunt, neque diem.

SUMMARIUM.

1. Regula hujus conciliatio cum simili Civili.
2. Actus legitimi duplicis generis sunt.
3. Sensus & ratio Regule.
4. Actus legitimi, conditionem de Jure Civili,
5. Et Canonico respuentes, referuntur,

6. Conditione ferè recipiunt contractus, etiam Nuptiales,
7. Et sententia censurarum.
8. Alij actus legitimi admittunt modum,
9. Et conditionem de præterito ac præsent.
10. De futuro etiam conditiones tacite eis inexistunt.

Generalis hæc à Bonifacio VIII. concepta est, quàm illa Papi-niani, *Actus legitimi, qui non recipiunt diem vel conditionem, veluti emancipatio, acceptilatio, hereditaria aditio, servi optio, datio tutoris, in totum vitiantur per temporis vel conditionis adjectionem, tenor est Regula 77. in Pandectis:* cuius, ne laudatus Papa induxisse correctionem & à sacri non minùs, quàm prophani Juris principiis recessisse videatur, cum his & illa ICT. nostra hæc Regula concilianda est auxiliò declarationis actuum legitimorum & discriminis inter eos.

Legitimus ergo actus esse potest duplici sensu. Unò; quòd lege sit introductus, approbatus vel receptus: quò sensu legitimi actus sunt non solum emancipatio, hæreditatis aditio & cæteri *Reg. 77. cit.* relati: sed etiam testamentum, codicillus, donatio, venditio, locatio cum reliquis contractibus, electio, postulatio, matrimonium, sponsalia, & plurimi alii. Alterò; quòd vel ex natura sua, vel ex speciali Juris dispositione conditionis & diei adjectionem non admittat, eorumque appositione vitietur, *Canisius hic & Barbolan. 6.* Unde

Civili accommodatus præsentis Regule sensus est, *Actus legitimi, qui vel ex natura sive institutione sua, vel ex speciali Juris prohibitione conditionis de futuro contingente, vel diei appositionem non admittunt.*

M m m m a

admit.

admittunt, eorum utriusque vel alterius duntaxat appositione vitiantur & invalidi sunt, Laiman Lib. 1. *crast.* 5. p. 1. *cap.* 7. n. 1. *ad finem, cit.* Canil. & Barbosa n. 7. cum n. 6. monuisset, illos actus ex natura sua conditionem vel diem non admittere, qui ex institutione sua certam & absolutam verborum formam habent. Ratio est; quia conditionis & diei adjectio contraria est substantiæ ac fini hujusmodi actuum legitimorum; cum isti instituti sint; ut certo & statim effectum aliquem purum sortiantur: cujusmodi effectus certa & præfens consecutio conditionis vel diei appositione frequenter impeditur.

4. Tales autem actus legitimi Civili Jure proditi sunt Emancipatio vel potius mancipatio, quæ fuit solennis quædam alienatio, quæ res mancipi libripende & quinque testibus præsentibus in alium transferebantur, ut ex Ulpiano ad *Reg. cit.* notat Ludwell. n. 16. Acceptilatio, utpote imitans naturam solutionis, cui sub incerto eventu suspendi repugnat; *l. Qui res 98. §. 8. ff. de Solut.* Hereditatis aditio: non etiam institutio hæredis; cum istius naturæ non repugnet adjectio conditionis: & lege, sicut ex certo tempore & ad tempus certum hæres quis institui prohibetur, sic in tempus incertum & sub conditione non minus quam purè institui apertè permittatur, §. *Hæres 9. Instit. §. 1. In tempus 62. ff. de Hæred. instit.* Ratio discriminis est; quia per aditionem hereditatis actu inducitur representatio testatoris: non etiam per hæredis institutionem. Optio sive electio servi & cæterarum rerum. Datio tutoris, non Testamentarii, sed Dativi, Ludwell. *à cit.* n. 16. quibus actibus à Papiniano, ut plerique autumant, exempli causâ expressis, Wilenbach, in *Reg. 77. cit.* n. 8. Manumissionem vindictâ & Ado-

ptionem addit, & Peckius *hic* n. 2. liberorum Exhæredationem & Emancipationem, imò quoscumque actus, lege introductos, qui à præfenti executione nomen habent, & propterea conditionis ac diei adjectionem respuunt, addendos censet cum Alciato *Parerg. Juris Lib. 3. cap. 8.*

Jure Canonico spectatò hujusmodi actus imprimis sunt Baptismus, Pœnitentia, Eucharistia, & (Matrimonio duntaxat exceptò) cætera Sacramenta; quia ex institutione Divina certam verborum formam habent & quia eorum effectus à conditione istiusque eventu non pendent, conditionis ac diei appositionem non admittunt, Barbosa *hic* n. 9. & Strein. n. 2. Quin Matrimonium quoque, licet alias non respuat, earum tamen conditionum, quæ tribus conjugii bonis, scilicet insolubilitati, prolis procreationi & fidei conjugali adferantur, appositione vitiantur, *c. fin. de Condit. apposit.* Deinde Electiones ac Postulationes Prælatorum; cum neque sub conditione de futuro, *c. In electionibus 2. de Electi. in 6.* neque ad certum tempus eligi quis valeat, aut postulari, Glossa *in c. cit. V. Incerta*, neque in sui electionem vel postulationem à superiore confirmatâ vel admittam consentire ita possit, ut *in c. cit.* cum Joan. Andr. notat Franc. n. 4. Præterea Collationes beneficiorum Ecclesiasticorum saltem, quæ fiunt à Prælati, Papâ inferioribus, *cit.* Peckius n. 2. & Strein. n. 1. §. *Hic ita*,

Addunt aliqui Matrimonium: alii 6. excommunicationem cum reliquis censuris. Sed perperam. Illud; quodd sponsalitus & nuptialis cæterorum contractuum instar iniri valeat sub conditione, quæ ipsius bonis substantialibus non repugnat, *c. r. c. Super eo 5. §. c. fin. V. Licet, de Condit. apposit.* ut cum S. Thoma *in 4. dist. 29. q. 2.* & aliis notant *cit.* Barbosa n. 8. & Strein. n. 2. *pr.* Illas verò; quodd 7. præce-

præcedente continuaciâ infligi etiam censure valeant sub conditione, v.g. non exhibendâ intra mensem satisfactiois, contumaciâ continuandâ, excessûs iterum committendi, c. *A nobis* 21. de *Sent. excom.* & c. *Romana* 5. V. *Nisi mora*, ibidem in 6. Panormit. in c. *A nobis* cit. n. 8. & in c. *Romana* cit. Anchoran. n. 5. Dominic. n. 3. & Barbofa n. 11.

8. Neque, ut primò occurfu apparet, Regulæ sic intellectæ aduersatur Primò; quòd actus legitimi recipiant Modum; cum ipsa etiam Baptismi ac Pœnitentiæ Sacramenta valide conferantur sub modo, v.g. *baptizo vel absolvo te, ut intra annum visites lumina Apostolorum*: conditio autem & modus æquiparentur; quia eorum æquiparatio locum duntaxat habet, quoad obligationem & necessitatem implendi, quam sicut conditionalis, sic etiam modalis dispositio inducit: non quoad dispositionis, eaque inductæ obligationis suspensionem in tempus & eventum futurum, l. *Cum ab eo* 41. ff. de *Contrab. empt.* quam ex natura sua vel legis dispositione actus legitimi respuunt; ut eorum appositione vitentur, Tiraquell. de *Retract.* §. 1. gloss. 2. n. 34. cit. & Barbofa n. 13.

9. Neque secundò; quòd actus legitimos non vitient conditiones de præsentibus ac præteritis, imò de futuro etiam necessario, v.g. *Si cras sol orietur*; quia conditiones de præsentibus & præteritis eò ipsò; quòd non pendent ab eventu futuro rei, sed illa jam extiterint, aut actu existat, actum ejusque effectum in tempus & eventum futurum non suspendunt, ab eò; futuro non reddunt dependentē, l. *Cum ad præsens* 37. ff. de *Reg. credit.* & conditiones propriè nō sunt, l. *Etiam si* 3. §. 13. ff. de *Bonis libert.* Conditiones etiam necessariæ, licet in eventum futurum concipiuntur, nihilominus, quia is in sua causa determinatus jam

est, præsentium instar habentur; atque idcirco, sicut de præsentibus ac præteritis, sic etiam de futuro necessario apposita conditio actum ejusque effectum non moratur, §. *Conditiones* 6. *Instit. de V. O.* nec propriè reddit conditionatum, §. 13. cit. & l. *Si pupillus* 9. §. 1. ff. de *Novat.* ut *Lib. 4. tit. 5. n. 7.* est dictum.

Neque tertio; quòd actibus legitimis tacite insint conditiones etiam de futuro contingente, earumque conditionum expressio ferè non obsit; sic enim, licet tutoris datio actus sit legitimus, ei tamen inest conditio, *Si satisdederit*, & si exprimat, non obsit, l. 1. §. 1. *Eum* 2. C. de *Tutor. & curat.* Non, inquam, etiam hoc aduersatur; quia etiam tacite inexistentes conditiones, si exprimantur, actum aliquando vitare, liquet, ex *Civili Regulæ* cit. Veru, *Nonnunquam tamen actus superscripti tacite recipiunt, quæ aperte comprehensa vitium adferunt, &c.* Ut autem constet, quando conditio, quæ tacite inest, expressa non obsit, aut vitiet actum, discrimen statuendum est inter ejusmodi conditiones; quædam enim principaliter proveniunt ex natura rei sive actus, ut in tutoris datione, *Si satisdederit*; quæ, sicut tacite inexistentes, sic etiam eò modò, quò insunt, expressæ actum legitimum non vitiant; cum enim quædam monitio potius, quam vera conditio sint, dispositionem conditionatam non reddunt; neque ipsam obligationem, sed ejus tantum effectum & executionem suspendunt, l. *Cum quid* 3. ff. *Si cert. petat.* & l. *Conditiones* 99. ff. de *Condit. & demonstr.* Aliæ verò non ex natura actus, sed potius extrinsecus adveniunt ex voluntate disponentis: quæ, licet tacite non vitient, vitiant tamen actum, quando exprimuntur, ut in *Acceptilatione*, l. *Nonnunquam* cit. & in casu l. *Legatum* 10. pr. ff. de *Adimend. legat.* cit. Barbofa n. 19.

M m m m ;

REGU.

REGULA LI.

*Semel Deo dicatum, non est ad
usus humanos ulterius transfe-
rendum.*

SUMMARIUM.

1. Regula hæc spectat res inanimatas.
2. Ejus sensus & ratio.
3. Res sacra reverenter tractanda sunt.
4. Etiam cum mutiles redduntur.
5. Ad prophanos usus reduci Ecclesie publicæ:
6. Non etiam privatâ Autoritate possunt.

1. **A**gitur hæc Regulâ de rebus inanimatis, affectis consecratione vel benedictione, vel publicâ autoritate & Ecclesiasticâ ordinatione ad cultum divinum & sacrum ministerium deputatis, Dynus ad hanc Reg. n. 1. & Canisius pr. Unde
2. Expeditus ejus sensus est, *Ecclesia, altaria, cœmeteria, calices, patena, vestimenta, ceteraque suppellex sacra, sive consecratione benedictione: monasteria, hospitalia, aliæque loca Episcopali aliâve Ecclesiasticâ ordinatione ad cultum divinum & sacrum ministerium deputata ad humanos, id est, seculares ac prophanos, præsertim viles humilesque usus transferenda & adhibenda non sunt: prout etiam can. Quæ semel 19 q. 3. & c. Ad hæc 4. de Relig. domib. habetur. Ratio est reverentia debita rebus affectis consecratione vel benedictione: quarum sacro ritu aliâve Ecclesie ordinatione, cum ejusmodi res & loca à prophanis exempta, & spiritualibus, ordinis multò sublimioris usibus perpetuò applicata sint, ab his ad illos transferri sine irreverentia & sa-*

cri ministerii contemptu amplius non possunt.

Hujus reverentiæ intuitu sanctionibus Ecclesiasticis constitutum est Primò; ut sacri calices, patena, pallæ & quæcunque sanctissimum Christi corpus aut Sanguinem proximè contingunt, munda & nitida conserventur, *c. fin. de Custod. Eucharist.*

Secundò; ne eadem sacra vasa attingantur à laicis & fœminis, etiam sanctimonialibus, *can. Sacratas 25. dist. 23. & can. Sancta 4. dist. de Consec.* Imò etiam à clericis subdiaconatus Ordine non initiatis, saltem ex moderna Ecclesie consuetudine, hac in re quoad Acolythos decreto Synodi Bracarenensis *can. Non liceat 32. dist. 23. prævalente, Azor p. 2. Instit. lib. 9. cap. 9 q. 6. & Laiman Lib. & tract. 5. cap. 6. n. 19. concl. 3.*

Tertiò; ut Episcopus calicem, quem adhuc prophanum ad se quomocunque delatum, invitò aut insciò dominò, coniecravit, non ipsum restituat: sed, eò ad sacros usus servatò, pretium domino exhibeat, *can. Comperimus 14. q. 6.*

Quartò; ne laicorum etiam Religiosorum vitâ functorum cadavera altaris aut aliis Ecclesie indumentis involvantur, *can. Nemo 40. iisve ornentur novæ nuptæ aut mentæ Principum instruantur, can. Ad nuptiarum 43. dist. 1. de Consec.*

Quintò; ne Ecclesie vel Capellæ, vetustate collapsæ aut dirutæ ligna & lapides ulli ædificio vel operi prophano, sed Ecclesie aut alteri sacro vel religioso loco applicentur, vel igni concrementur, *can. Ligna 38. dist. cit.*

Sextò; ut pallæ, corporale, candelabra &c. vestutate inutilia reddita non applicentur ad usum prophanum: sed omnino consumantur igne, & cineres Baptistlerio inferantur, *can. Altaria 39. dist. 1. de Consec.* Aliter res se habet cum sacris va-

eris vasis; hæc enim saltem constat contrafractiue laicis etiam sine ullo inter usus discrimine vendi permittuntur, *l. Sancimus 21. Auth. Præterea C. de SS. Eccles. & can. Hoc jus porrectum 10. q. 2.* Verum quia *l. & Auth. cit.* dispositio sunt Juris Civilis, & ex illo etiam *can. Hoc jus cit.* in Decretum translatus est à Gratiano, Ecclesiastici Juris vim ei conferre non valente, non immeritò quis ambigat, an id contentaneum sit allegatis decretis Conciliorum & Apostolicis Responsis. Utunque autem hoc se habeat, illud exploratum est, Deo per consecrationem dicatas res v.g. calices à spiritualibus ad prophanos usus transferri Apostolicâ: & saltem, si contractæ vel dissutæ sint, probabilius etiam Episcopali autoritate & vi consuetudinis legitimè præscriptæ posse.

5. Privatâ quoque autoritate hujusmodi translationem permissam, suaderi videtur Primò; quòd loca Religiosa in prophana transeant occupatione hostium, & à privato factâ exhumatione mortui istiusque ossium translatione. *l. Cùm loca 36. & l. Cùm in diversis 44. ff. de Relig. & sumpt. fun.* Secundò; quòd servus, invitò aut inticiò dominò, minoribus & aliquando etiam sacro Diaconatus Ordine initiatus, domino sit restituendus, *can. Ex Antiquis 9. can. Frequens 10. dist. 54. & can. De servorum 2. de Servis non ordin.* Tertio; quòd Jure subsistat venditio rei sacræ, quam emptor prophanam per errorem existimavit, *l. Et liberi 4. ff. de Contrab. empte.*

6. Sed ista, translationem privatis permissam, non persuadent. Primum; quia hac in re prævalent & à legibus divertunt SS. Canones: quibus spectatis locus non nisi publicâ eaque Ecclesiasticâ autoritate Religiosus evadit, & ad prophanos usus redit, per tradita *Lib. 3. tit. 36. n. 18.*

Alterum; quia, ut dictum, propo-

ta Regula procedit de solis rebus inanimatis: in quas cum dolus & delictum non cadat, eodem jure censeri non debent cum servo, quando invitò aut inticiò dominò ordinatur, delinquente & committente fraudem: ut; ne ex ista & delicto lucrum percipiat, repetenti domino meritò restituatur, ut in *can. Comperimus cit. Glosa ibi observat,* & dictum est *Lib. 1. tit. 18. n. 3.*

Postremum; quia, esto venditio intuitu bonæ fidei emptoris sustineatur, ad prophanos tamen usus vendita & tradita res sacra non transfertur. Imò sacralicis etiam propter Ecclesiæ necessitatem, captivorum redemptionem &c. ac proinde ex justa Jurèque approbata causa laicis venditi ac traditi dominium non transfertur in hos, sed in Ecclesias & cappellas, quarum usibus applicatur, per tradita à Suarez de *Simonia cap. 14. n. 15.* & Laiman de *Reb. Eccles. alien. cap. 5. n. 65. & 71.*

REGULA LII.

*Non præstat Impedimentum,
quod de Jure non sortitur effe-
ctum.*

SUMMARIUM.

1. Regula sensus.
2. Variis Juris decisionibus declaratur.
3. Et firmatur ratione.
4. Et contraria Juris definitiones.
5. Occurritur *l. à publica honestatis impedimento,*
6. II. A beneficii devoluti provisione,
7. III. A secundæ procuratoris constitutione.
8. IV. A legato & testamento secundo, *g. V. Ab*

3. V. Ab absolute collata ab excommunicato petitis.
10. Tres à Regula exceptiones.

1. **O**Mnes materias omnésque actus hæc Regula pervagatur, & in utroque, Seculari & Ecclesiastico, neque in externo duntaxat, sed in interno quoque, sive Animæ foro locum habet.

Sensus ejusest, *Actus, qui Jure nullus, nullumque effectum sortitus est, impedimento non est alteri actui, quò minus*

2. *valide geratur*; sic enim Baptismi & Ordinis Sacramentorum, iterationem non admittentium, novæ collationi istiusque valori ullum impedimentum non præstat anterior utriusque, sed invalida susceptio, *can. Quos à paganis 51. dist. 4. de Consec. & c. 1. de Presbyt. non baptiz.* sic matrimonium initum cum consanguinea conjugii, postea cum muliere extranea, & sponsalia inita cum puella nondum septenni, quod Jure invalida sint, conjugii, postea cum ejus matre vel sorore contrahendi valori non obstant, *can. Si verum 31. q. 2. c. Literas 3. & c. Cum accessit 4. de Desponsat. impub.* Sic patronus laicus, post Ecclesiæ donationem Monasterio, aut beneficii collationem, Episcopi consensu non interveniente, factâ uni, ad hoc aut illam vacantem alium clericum idoneum validè præsentat; propter præcedentis donationis vel liberæ collationis nullitatem, præsentationis postea factæ valori non obstantem, *c. Illud 8. de Jure Patronat.* Simili modò post publicatum scrutinium, in quo suffragia in indignum scienter collata sunt, à Canonicis inchoatum novum scrutinium ex eoque secuta electio Jure subsistit, non obstante publicatione prioris; quòd hoc fuerit invalidum & ad communis electionis effectum non perductum, *c. Perpetuo 7. de Elect.*

in 6. Secus foret, si ex scrutinio anteriori communis electionis effectus fuisset subsequutus, *c. Quamquam 18. de Elect. in 6. Laiman de Elect. Canon. q. 64. & Pirrhing ad Rubr. de Elect. n. 50.* Eòdem modò prius conditum testamentum non infirmat inchoatio secundi, si morte præventus testator ante istius perfectionem decessit; quòd posterius hoc invalidum, nullumque sortitum sit effectum, *§. Ex eo 7. Instit. Quib. mod. testam. infirm.* Ex qua ratione in contractibus, si prima stipulatio Jure subsistit, altera ejusdem rei stipulatio non valet, substituta, si prima irrita fuisset, *l. Si dari 25. ff. de V. O.* in judiciis depositio coram giudice incompetente non obstat valori testimonii, etiam contrarii, perhibiti coram competente; quòd illa, cum fuerit nulla, huic non potuerit officere, *Glossa in Clem. 2. V. Rixè, de Test. & attest. & Gaill. Lib. 1. observat 105. num. 12.*

Rationis locò sunt trite Juris Maxima, *Quod nullum est, nullum producit effectum, l. Non putavit 8. §. 2. ff. de Bonor. poss. & l. Si se 4. §. 6. ff. de Re judic. Aliquid esse nullum & sine effectu esse, Non fieri & effectum non sortiri, paria sunt, c. Illud cit. & l. Ex consensu 23. §. 1. ff. de Appell. & Relat.*

Exempla tamen hæc & deducta ratio Regulæ vim luculentius non demonstrant, quàm difficilè reddant contra eam militantes non pauca utriusque Juris definitiones; nam Primò ex sponsalibus antiquò, & novissimò etiam Jure ex matrimonio rato aliunde, quàm ob defectum consensûs, invalido oritur impedimentum publicæ Honestatis, obstandans valori conjugii cum sponsæ consanguinea, hodie primò, olim verò quartò gradu (& novissimò Jure etiam cum nupta hoc gradu) conjuncta contrahendo, *c. 1. de Sponsal. & Matrim. in 6. junctò decretò S. Synodi Trident.*

Tridentina, c. cit. quoad impedimentum illud ex solis sponfalibus de futuro ortum antiquo Juri derogantis, *Sess. 24. cap. 3. de Res. matrim.* Secundò, quando superior ad Prælaturam, propter capitulæ negligentiam ad se devolutam, aliquem eligit, isque vel non consentit, vel renuntiat aut moritur, itaque ipsius electio vel nominatio effectum non sortitur, novæ superioris electioni locus non est, sed eligendi jus redit ad capitulares, *Glossa in c. Si electio 26. V. Integrum, de Electione in 6. Et ad hanc Rubr. Pirrhing n. 246.* Tertio, constitutio legitima procuratoris prior per posteriorem alterius ad eandem causam constitutionem tacite revocatur: quantumvis posterior, quòd v.g. constitutus munus recusarit, effectum non sortitur, c. *Non injustè 14. de Procurat.* ferè, sicut per secundum testamentum rumpitur primum: licet ex illo hæres non extiterit, §. *Posteriore 2. Instit. Quibus mod. test. infirm.* *Glossa in c. Si duo 6 V. Simul, de Procurat. in 6.* Quarto, rei legatum priori legatario ademptum censetur: etiamsi in legatarii posterioris persona legatum consistere non possit, l. *Planè 24. pr. ff. de Legat. 1. Et l. Licet 20. ff. de Adimend. legat.* Quintò Sacerdos excommunicatus, penitentem sacramentaliter absolvere præsumens, irregularitatem contrahit: quantumvis ab eo, tanquam jurisdictionis actuali usu privato, collata absolutio invalida sit, & non sortiat effectum remissionis peccatorum, *Suarez Disp. 11. de Censur. f. 3. n. 14. & Zoccius ad Rubr. de Cleric. excom. ministr. n. 14.*

5. Sed hæc Juris definitiones, licet difficultate non careant, Regulæ tamen declarationi potius occasionem præbent, quàm eam convellant. Prima; quia, esto sponsalia & matrimonium ratum, aliunde quam ex defectu consensûs invalida, non

sortiantur effectum Juris, sortiantur tamè effectum facti, sive mutæ conjunctionis animorum, seclusò Jure Positivò, ad sponsalia sufficientis & efficientis; ut inter homines Sponsi reputentur. Unde publicæ honestatis ratio matrimonium eorum utriusque cum alterius consanguinea non permittit: ferè, sicut id non permittitur cum consanguineis alterius ex iis, inter quos commercii carnalis conjunctio intercessit, *Glossa in c. Ad audientiam 4. V. Habere, de Sponfal. Et matrim. Et Pa. normit. in c. cit. n. 7.*

6. Secunda; quia vi devolutionis ob electorum negligentiam superiori Jure competit unicus duntaxat actus electionis seu potius liberæ collationis Prælatu-
ræ: quâ factâ cum devolutio effectum sortita jam sit, etiamsi ab eo facta collatio effectum suum per accidens non sit consecuta, eligendi jus ad capitulares redire debet; ne Jure inducta poena privationis *Pro una vice* sive unico actu provisionis largâ interpretatione extendatur potius, quàm restringatur, contra *Reg. Odia 15. in 6.*

7. Tertia & quarta; quia mandatum sive constitutio procuratoris revocatur
8. contrariâ etiam tacitâ voluntate constituentis: quæ cum alterius procuratoris ad eandem causam constitutione facta factis intelligatur, secundâ constitutione prima revocatur; quòd secunda jam sortita sit effectum, seu vim probandi contrariam voluntatem constituentis, sive revocationis primæ: licet procuratoris in alterum translata effectum non sit consecuta. Sic etiam ejusdem rei secundò legatò ademptum primum; & secundò
9. testamento perfectò id, quod ante conditum fuit, ruptum ac revocatum sufficienter intelligitur: quantumvis secundò res relicta sit incapaci, & ex altero testamento hæres non extiterit; quòd ejusdem rei
legatum

N n n

legatum

legatum secundum & alterum testamen-
tum, licet sortita non sint effectum trans-
lationis rei legata & hæreditatis in se-
cundi legatarii vel instituti hæredis per-
sonas, confecta tamen sint effectum seu
vim probandi ademptionem legati & re-
vocationem testamenti prioris, *arg. l. Si
quis ita 3. ff. de Admend. leg. & §. Præ-
terea cit.*

9. Postrema; quia etiam talis absolu-
tio, licet non liberationis à peccatis, atten-
tationis tamen consummata sive exercitii
Ordinis effectum fortitur instar actus bap-
tizationis: quò, quia Baptismi consum-
mata attentatio est, irregularitas contra-
hitur, *can. Afros 3. dist. 98. & c. Ex lite-
rarum 2. de Apostat. ut ad hanc Rubric.
dictum est n. 17.*

10. Non malè etiam quis asserat, dedu-
ctas instantias plerasque à proposita Re-
gula esse exceptiones; cum ex communi
DD. sensu ea non procedat Inprimis
iis casibus, quibus ad effectum inducen-
dum sufficit sola voluntas; ut in legato,
quòd legato posteriori, relicto incapaci,
revocari, est dictum.

Deinde in personis, quæ aliquid a-
gunt jure alieno, ut ministri substituti
delegati; cum delegatus, qui sententiam
invalidam protulit, eam revocare & sine
nova commissione iterum judicare non
possit, *l. Si ut proponit 4. C. Quomodo
& quando jud. quòd officio suo functus
jam sit, instar compromissarii indignum
eligentis, c. Si compromissarius 37. §. Si
verò, de Elec. in 6. Menoch. Lib. 1. de
Arbitr. q. 67. n. 21. & Sanchez Lib. 8. de
Matrim. disp. 27. n. 39.* Nisi sententia
esset invalida ob mandati formam non
servatam; hoc enim casu denuo judicare
non prohiberetur, *arg. l. Quod; amen 21.
ff. de Arbitr. Pirrhing ad Rubr. de Offic. de-
leg. n. 156.*

Præterea in iis, quæ sunt jure spe-

ciali; & vel maximè in delictis; cum, si-
cet ea, quæ contra Jus fiunt, pro infectis
& inutilibus habeantur quoad utilitatem
& commodum, quòd asserunt delinquenti-
bus, quoad pœnas tamen & delictis an-
nexa impedimenta sæpe perinde, ut con-
tra Jus validè acta censentur: ut patet in
irregularitate, quam à rebaptizante & ab
excommunicato, Sacramenti pœnitentiæ
administrationem attentante, contrahi, est
dictum. Alias exceptiones dabunt Fel-
nus in *c. Ex tenore 16. de Rescript. Me-
noch. q. cit. & alii apud Peckium hic n. 6.
in fine.*

REGULA LIII.

*Cui licet, quòd est Plus, licet mi-
nus, quòd est Minus.*

SUMMARIUM.

1. Simili huic Regula Crovis,
2. Utriusque sensus ratioque,
3. Et consona Juris definitio,
4. Procedit Regula, si plus & minus e-
jusdem ordinis,
5. Utriusque eadem ratio,
6. Minusque specialiter non prohibi-
tum,
7. Et plus concessum sit absoludè.

Sicut præsentì Bonifacius VIII. sic
Regulâ 21. in Pandectis Ulpianus,
à majori ad minus ductò argumen-
tò, Non debet, inquit, cui plus li-
cet, quòd est minus, non licere: quæ ar-
gumentandi ratio, ut ab occurrente non
una difficultate expediatur, adhibita mo-
deratione sic temperanda est; ut
Sensus Regulæ utriusque sit, Cui li-
cet, quòd est plus sive majus, licet etiam,
quòd est minus: si utrumque ejusdem or-
dinis, eadèque ratio sit utriusque, & spe-
cialis de

et alia de altero dispositio non obstat. Cum qua limitatione etiam exaudienda est ex his argumentis, à contrario & à minori ad majus ducto, illata & negativè concepta Regula. *Cui non licet, quod est minus, etiam quod plus sive majus est, non licet.* Utramque dicitur ratio naturalis; quòd plerumque minus sub majori contineatur: & ut plurimum sine eo, quod est minus, ad plus sive majus nequeat perveniri. Unde, ne, quod plus sive majus est, effectu sæpe careat, eò, quod majus est, concessio, minus quoque concessum: & hoc non concessio, neque illud concessio, intelligi solet.

3. Quare imprimis v. Regula affirmativa is, cui in Missa SS. Corporis & Sanguinis Christi consecratio, in eadem populi benedictio est concessa, *can. Ecce 6. dist. 95.* cui animarum cura, etiam rerum Ecclesie administratio, committi potest. *can. Præcipimus 12. q. 1. & Monasterio decimas in parochiis sibi per unionem incorporatis percipiendi privilegio indulto etiam novarum decimarum concessa intelliguntur, c. Ex parte 27. de Decimis.* Sic etiam, qui, ut filius familias, de peculio castrensi vel quasi testari, etiam mortis causa donare, *l. Tam is 25. ff. de Mortis causa donat.* & qui adulterum occidere, multo magis eum percutere & contumelià afficere permittitur, *l. Nec in ea 22. §. 2. C. 3. ff. ad L. Jul. de Adult.* Deinde ex eadem concepta negativè is, qui nequit à venialibus, nec à mortalibus: & qui clericus percussorem absolovere nequit ab excommunicatione, nec ad Ordinum usum dispensare cum eo potest, *c. Cum illorum 32 de Sent. Excom.* Sic etiam, si non puniatur delictum consummatum, nec attentatum duntaxat puniatur &c. *Strein. hic n. 2.*

4. Attemperata autem Regula est tergemina limitatione. Prima est, *Si utrumque plus & minus ejusdem;* non etiam, *Si*

ea sint ordinis diversi; cum ex competente alicui sanguinis aliarumque criminalium cognitione, ei civilium quoque causarum cognitionem, competere, perperam inferatur, *l. Solemus 61. ff. de Judicis,* cujus, §. 1. latrunculatori, cui latrones conquirendi & supplicio afficiendi potestas erat, *Novell. 20. cap. 12. de re pecuniaria* cognitio non aditur; quòd, licet illa major, diversi tamen ordinis cognitio sit. Sic etiam à Papa, cui ex illicito thoro procreatos ad spiritualia legitimandi potestas suprema competit, eos ad successionem hæreditariam & similes effectus merè temporales directè legitimari extra territorium Ecclesie temporale non posse, dictum est *Lib. 4. tit. 17. n. 63.* quantumvis legitimatio ad spiritualia majorem exigat potestatem, *c. Per venerabilem 13. Qui fil. legit. sint.*

5. Altera, *Si utriusque eadem sit ratio;* cum ex facultate transeundi ad Ecclesiam majorem, puta, ad Metropolitanam, Episcopo indultà permittitur ei non sit transitus ad parem, sive Cathedralem aliam vel inferiorem, *c. 1. C. 9. fin. V. Nec illa, junctà Glossà V. Ad parem, de Translatione Episc. ut ad hanc Rubric. dictum n. 3.* Sic occumbenti in torneamentis, si poeniteat, conceditur absolutio à peccatis, & sepultura Ecclesiastica denegatur, *c. 1. de Torneament.* & licet homicidium majus adulterio sit, *can. Si quod 33. q. 2.* mulierem tamen bannitam, qui occidere, non eò ipso ad fornicationem cogere potest, ut contra Nellum *de Bannit. p. 2. Secundè temp. q. 46.* hoc illi adstruendo turpiter hallucinantem Christianè magis tradit Baldus *in l. fin. C. Que contra jus Turil. publ.* quòd legitimi Magistratus autoritate homicidium aliquando: nunquam autem adulterium licitè fieri possit. Ratio omnium est; quia in his casibus non est eadem ratio majoris & minoris.

N a n n a Tertia,

6. Tertis, Nisi specialis dispositio de altero obstat. Ex qua causa Sacerdoti sacrificanti Eucharistiae sumptio sub utraque; non etiam sub una tantum specie est permessa, *can. Comperimus 12. dist. 2. de Consec. mulieri*, si alienam obligationem in se susceperit: non etiam, si, intermissione cessante, pro altero solverit, *S. C. Velleiani auxilio subvenitur, l. 1. ff. ad S. C. cit. & tutor, cui rei pupillaris à Praetore permessa est venditio, eam obligare nequit oppignorando, l. Si pupillorum 7. §. 3. ff. de Reb. eorum, qui sub tutel. Sic etiam praesides provinciarum, qui jus gladii & in metallum dandi obtinent potestatem, l. Illicitas 6. §. 8. ff. de Offic. Praesid. deportandi potestate carent, l. Rei 2. §. 1. ff. de Panis & l. Inter 6. §. 1. ff. de Interdict. & releg. ex speciali dispositione Juris, permisso alterò, alterum denegantis.*
7. Harum limitationum vi corrumpunt, quae ex utroque Iure Regulae opponuntur, praesertim si addatur, ei locum tantum esse in iis, quae Iure communi absolute conceduntur, ut cum Campanilla *Divers. Jur. Canon. Rubr. 11. cap. 13. n. 92. hic notant Barbosa à n. 3. & Strein. n. 5. in fine.* Unde uterque infert, eam deficere in facultate dispensandi, non à Iure, sed ab homine concessa, & in dispensationibus ipsis: & non habere locum in privilegiis & indultis gratiosis, & praesertim in mandatis de providendo, *c. Si de non Sacerdotali 27. de Prab. & dignit. in 6. saltem, si id, quod est minus, in eo, quod plus sive majus est, non includatur, eive non annectatur.*

REGULA LIV.

Qui prior est Tempore, potior est Jure.

SUMMARIUM.

1. Similima huic Regula Civilis.

2. Sensus & ratio utriusque,
3. Et utriusque objectae difficultates.
4. Quae tamen eas vel non attingunt,
5. Vel solummodo declarant.
6. In Pignoriibus saepe, non semper ei est locus.

Minùs ampla primò occursum apparet, attentius tamen considerata non minùs, quàm Canonica haec Regula, latè diffunditur illa JCT. Hermogeniani, *Quoties utriusque causa lucri vertitur, is praefendus est, cujus in lucrum causa tempore praecedit, quae est 98. in Pandectis.*

Sensus enim idem utriusque est, *Quantumvis temporis prioritas sive diurnitas ad jus alicui tribuendum ratio sufficiens sola non sit. Obligationum 44. §. 1. ff. de O. & A. duobus tamen, de ejus, quod habent, juris pralatione certantibus, & quoad caetera paribus, praerogativam tribuit juri, quod antè sive antiquius est; ut is praefatur, cujus jus priori sive antiquiori temporis suffragio adjuvatur.* Quo sensu concepta Regula jam declarata & exemplis illustrata est *Lib. 1. tit. 33. à n. 4.* Ratio à DD. ea reddi solet; quòd jus ab aliquo acquisitum ipsi debeat prodesse, & invito sine sua culpa non auferri, *can. Satis perversum 7. dist. 56.* sicut contingeret, si is, cujus jus tempore posterius est, antè habenti praeferreretur, & hic post illum ordine praeposito collocaretur.

Quantumvis autem haec Regula aequitate plena & primà etiam fronte plana sit, ex multiplici tamen capite difficilis est; contra eam enim facit Primò; quòd lex & Constitutio posterior praevalcat ac deroget priori, *l. Sed & posteriores 28. ff. de LL. & c. 1. de Constitut. in 6.* & posterius testamentum ritè perfectum rumpat ac tollat prius, *§. Posteriore 2. Institut. Quibus mo-*

bus modis testam. infirm. & l. Tunc autem 2. ff. de Injusto rupto &c. Secundo, ex pacto non priora tempore, sed novissima præferri ac servari oportere, tam Juris, quam rei æquitatē postulare, asseritur, *l. Pacta 12. C. de Pactis*. Tertio, simili modo privilegia non ex tempore sive antiquitate, sed ex causa æstimanda sunt, ex responso ICT. *l. Privilegia 32. ff. de Reb. jud. auct. possid.* Quarto, eadem re successivè venditā duobus, jure potior non est is, cui res primò vendita, sed cui ea primò tradita fuit, *l. Quotiens 15. C. de R. V.* quantumvis emptio contractum consensus ante traditionem fuerit perfecta, §. 1. *Instit. de Empt. Vendit.* Quintò, in judiciis quoque durior petitoris & potior est causa rei sive possessoris: nec tanta prærogativæ temporis, quanta possessionis ratio habetur, *Reg. In pari 65. in 6.*

4. Sed hæc speciosa magis quam efficacia contra Regulam sunt; cum istius sensum explicent potius, quam vim infringant.

Primum; quia Regula hæc non afficit actus, ab unius voluntate pendentes, ut sunt leges ac testamenta; cum enim in his observanda & investiganda sit voluntas legislatoris ac testatoris; & ne illi Republicam rectè etiam lege, sicut conditā, sic etiam, cum rerum circumstantiæ poscunt, mutatā, vel omnino revocatā, gubernandi: isti de rebus suis disponendi & à dispositione semel facta recedendi facultas adimatur, posterior & suprema voluntas attendi debet, ac priori prævalere, *l. Non est novum 26. ff. de LL. l. fin. C. de Constitut. princip. & l. Si mihi 12. §. 3. ff. de Legat. 1.* Glossa & Vivianus *hic*.

5. Secundum; quia Regulā præsentis ex tempore jus solum æstimatur in concursu duorum vel plurium jus habentium

ac certantium de sui prælatione & lucro seu commodò ex isto percipiendò. Unde ab ea remotissimus est casus, quò duo vel plures, post pactiones semel initas, à priori placito ad nova pacta mutuo consensu descendunt; hæc enim casu ultimum prævalet ex mutua & libera voluntate paciscentium, quin de unius jure alterius juri præferendo inter eos certamen & contentio sit.

Tertium; quia, ubi unum privilegium ex causa magis privilegiata alterius privilegio favorabilius est, ut v.g. pupilli ac fisci & similibus privilegiatorum, eorum jura paria non sunt; atque idcirco nec locus Regulæ nostræ, ut ad eam notant Canisius & Strein. *num. 1.* Quando autem alterius causa non magis privilegiata & cætera paria sunt, intrat Regula & privilegium antiquius, sive id personale, sive reale sit, anterioris temporis suffragiò alteri prævalet.

Quartum; quia in eadem re diversis temporibus vendita duobus, & neutri tradita is, cui prius vendita est: & cum successivè tradita est utrique, is, cui prius tradita est, vigore Regulæ præfertur; quòd ejus dominium absorbeat alterius possessionem. Quando autem res priori solum vendita, posteriori autem emptori insuper tradita est, utriusque jus & causa par non est; cum posterior non solum jus ex contractu consensu perfecto, sed ex traditione quoque rei venditæ possessionem ac dominium vel illius locò conditionem præscribendi sit consecutus. Prior verò jus solummodo habet ex contractu, qui parit actionem ex empto, quâ petere potest, ut venditor ad rem tradendam vel, si tradendi facultatem non habeat, ad id, quod interest, condemnatur, *l. 1. ff. de Act. empti.*

Postremum; quia actoris & rei causa dispar est non solum ratione possessionis pro

N n n ; onis pro

onis pro reo militantis, & cum cætera paria sunt, præponderantis: sed etiam, quod reus invitus, inopinatusque & imparatus in jus vocetur, & partes sustineat vim propulsando se tuentis adversus impetitionem actoris: qui, præterquam, quod lucrum capiet ex rei damno, sponte paratusque, & quò ipsi placuit tempore in iudicium venit. Ut mirum non sit; quòd, uter alterum tempore præcedat, non attendatur.

6. Idem ferè, quod in venditione, accidit in pignoribus & hypothecis; quantumvis enim in his quoque potior sit is, qui prius credidit pecuniam, & hypothecam accepit, *l. Potior 11. pr. ff. Qui pot. in pign. hab.* etiam si posteriori specialiter res aliqua v.g. prædium, priori verò generaliter obligata sint omnia debitoris bona, ex quibus, etiam prædiò subtractò, pecunia credita recuperari possit, *l. Qui generaliter 2. pr. ff. & l. Si generaliter 6. C.* imò etiam, si posteriori creditori prædium à debitore traditum sit, *l. Creditor 1 §. fin. ff. eadem Rubr. cum;* quòd hòc casu prædium per traditionem ad creditorem posteriorem cum onere transferatur, *l. Alienatio 67. ff. de Contrab. empt. & c. Ex literis 5. de Pignor. & hypoth.* verò; quòd jus priori quæsitum ei invito auferri non possit, *Reg. Id. quod nostrum est 11. ff. hie.* Quantumvis, inquam, in his quoque prior tempore potior jure habeatur, variis tamen casibus hæc temporis prærogativa etiam in pignoribus & hypothecis non attenditur; quòd posteriori pignori data res ei obligata, aut ejus causa specialiter privilegiata aliunde, atque idcirco cætera non paria, nec præsentì Regulæ sit locus, ut videre est apud Negulant. *de Pignorib. Lib. 2. Rubr. 5. part. pr. & Peckium hie n. 15.* Regulam ab eaque deviantes casus læcò exequentes:

REGULA LV.

Qui sentit Onus, sentire debet Commodum, & econtra.

SUMMARIUM.

1. Duas hæc Regula partes habet.
2. Sensus & Equitas prioris,
3. Utriusque juris exempla declarata.
4. Sensus, ratio & exempla posterioris.
5. Limitatio prioris,
6. Posteriori objecta instantia,
7. Eam non convellunt, sed declarant.

Bipartita hæc Regula, ejusque pars prima prodita est Jure Civili, cujus Regulà 10. Paulus ICT.º ait, *Secundum naturam est commoda cuiusque rei eum sequi, quem sequuntur incommoda.* Altera dictione Econtra comprehensa, *Qui sentit commodum, sentire debet onus.*

Primæ partis sensus est, *Qui sustinet onus sive damna & incommoda alicujus rei vel actionis, ad eum etiam pertinent cum ea connexa, ex eæve provenientia commoda & emolumenta.* Quod Regulà 10. cit. ICT.º non malè revocat ad æquitatem naturalem; cum à natura infuso instinctu ad laborem, ad onera & incommoda supportanda utilitate omnes moveamur: nemòque facilè sit, qui subeat onus, si commodi & emolumenti spe non compensetur adeò; ut eò respiciens Divini Juris Interpres & Christi Apostolus. Paulus alter, ad patientiam & sufferenda pro Christi nomine adversa Neophytos proposità præmii spe sit exhortatus; *Sicut enim inquit, socii passionum estis, sic eritis & consolationis,* 2. Corinth. cap. 1. V. 7.

Quare istius Regulæ vi Monasterium, sicut ex clerici incontinentis ad agendam

agendam penitentiam detractione ejus alendi subit onus, sic ex illatis ejus bonis vel stipendiis, eorum loco assignato subsidium sentire debet, *can. De lapsis 16. q. 6.* Parocho quoque Sacramenta cæteraque divina subdito suo ministrandi obligatio Canonice portionis percipiendæ emolumentis sublevatur, *c. 1. c. Certificariis 9. Sc. de Sepult.* Sic emptor, qui post emptionem ritè perfectam rei etiam nondum traditæ sustinet periculum & interitum, in illius compensationem percipit ejus fructus & incrementum, quod auctione pretii, alluvione &c. accedit, *l. 1. C. de Periculo & commodorei vendit. § 5. Quum autem 3. Instit. de Empt. Vendit.* Creditor etiam, cum fundum in solum acceptum pluri vendiderit, quam debebatur, hoc ipse lucrum fert, sicut laturus esset damnus, si minoris vendidisset, *l. Cùm pro pecunia 24. C. de Solut.* Ita demum, ut alia omittam, usufructuario cedunt arbores demortuæ, quibus alias substituere tenetur, *l. Agria 18. ff. de Usufructu*; & in contractu societatis, licet expressum non sit, tacite tamen actum censetur, ut, qui plus æris & periculi sustinet, plus faciat lucri, Baldus in *l. 1. C. Pro socio* & Gomez Tom. 2. Var. c. 5. n. 5.

4. Secundæ & ex prima à contrario illatæ partis sensus est, *Qui alicujus rei vel actionis percipit emolumenta & commoda, is sufferre quoque debet onera sive damna & incommoda annexa & provenientia ex ea.* Quod eadem æquitate nititur & ratione aded; ut Imperator non ferendum existimavit eum, qui rei lucrum quidem amplectitur, onus autem ei annexum contemnit, *l. Unica §. 4. C. de Caduc. coll.* Hinc certè Propheeta Divinò jussu, *Va dixit Pastoribus Israel,* qui, pastorali onere & curâ ovium neglecti à capratisque commodis & pinguedine,

pascebant semetipsos, Ezechiel *cap. 34. V. 2.* Hinc beneficiorum suorum fructus clericis non residentibus & Ecclesiæ suæ non servientibus denegantur & adiunguntur, ex decreto PP. Trident. *Sess. 24. cap. 12. de Reformat.* quòd beneficium propter officium detur, *cap. fin. de Re-script. in 6.* & sumptibus ad Ecclesiæ ruinam minitantis, reparationem aliunde deficientibus, ad eam contribuere tenentur ejus Rector, beneficiati & quicumque ex ejus fructibus ac proventibus aliquid percipiunt, *c. 1. de Eccles. adif.* & ejusdem S. Synodi decreto *Sess. 12. cap. 7. de Reformat.* Jure quoque Imperiali fructus non conceduntur usufructuario, qui proprietario satisfacere recusat, *l. Quamvis 10. ff. de Damno infecto,* & legato reputatur indignus, qui ei appositum à testatore onus subire non vult, *l. Nefennius 32. V. Nonsemper, ff. de Excusat. tut.*

5. Quamvis autem Regula pars utraque fundetur in æquitate, neutra tamen eximia est ab impugnatione: & contrariam quidem facit; quòd, Sede vacante, jurisdictio & administratio Episcopalis transeat ad Capitulum: hoc tamen non percipiat fructus, Sede vacante, provenientes: sed hi in Ecclesiæ utilitatem impendi & Prælati defuncti successoribus debeant reservari, *c. Quia sepe 40. de Elect. in 6.* & Civili etiam Jure fratres graventur onere tutelæ sororis suæ: licet ad successionis commodum & emolumenta hæc sola admittatur, *l. 1. in fine, ff. de Legit. tutor.* Instantiis his aliquid tribuendum & Regula sic limitanda est; ut, qui onus, etiam commodum sentiat *Nisi onus ex sua institutione, vel specialis Juris dispositione alicui officio sine comodo sit annexum:* sicut exercitium jurisdictionis & administratio Episcopalis, vacante Sede, Capitulo, *c. cit. c. His qua 11. de Majorit. &*

forit. & obed. c. Si Episcopus 3. & c. fin. de Suppl. neglig. in 6. & legitima tutela agnatis l. 1. cit. ita tamen; ut, ne hujusmodi officia perentibus damnosa sint, contra Reg. cap. Cùm non deceat 30. de Elect. in 6. expensas omnes repetere valeant, Laiman in c. Quia saepe cit. n. 2. & Pirhing ad Rubric. de Elect. n. 158.

6. Posterioriorem autem partem dubiam reddit Imprimis; quòd Prælati, Rectores parochiarum & alii beneficiati ad officium & servitium, dignitati vel beneficio suo annexum, obeundum ob senium, lepram &c. inhabiles, eorum fructus ac redditus nihilominus percipiant; ac proinde sine onere commodum sentiant, *can. Scripti 7. q. 1. c. 1. & c. Ex parte 5. de Clerico agrot. Deinde; quòd maritus uxoris adulteræ dotem lucretur, quin eam in posterum alere eique cohabitare teneatur, l. Unic. C. de Res uxor. atq. & s. Plerumque 3. de Donat. inter vir. & uxor. Demum; quòd rei particularis legatarius saepe ex legato à defuncto sibi relicto lucrum percipiat, quin solvendi æris alieni onere gravetur, l. fin. C. de Hered. atq.*

7. Sed ista quoque huic Regulæ parti non officiant. Primum partim; quia propositæ Regulæ vi is, qui commodum percipit, annexum onus subire ac ferre solummodo debet, quando ejus ferendi est capax: quales ejusmodi Prælatus, Rector & beneficiatus non sunt: partim verò; quia officio & servitio dignitati &c. annexò funguntur per assumptos vel ipsis datos Coadiutores, *c. De Rectoribus 3. c. fin. de Clerico agrot. & c. 1. ibidem in 6. A dignitatibus autem & beneficiis eos removeri non permittit ratio beneficii Ecclesiastici: quod jus perpetuum est; ut extra casus jure expressos invito nequeat auferri, can. Sanctorum 2. dist. 70. & c. Si gratiosè 5. de Rescript. in 6.*

uti & Ecclesiæ ipsis condolentis benignitas; ne afflictis afflictio addatur, *c. Cùm percussio 7. q. 1. & c. Ex parte cit.*

Secundum ac tertium, cùm; quia divortio ex adulterio securo maritus innocens dotem non sine onere lucratur; cùm ex uxoris suæ adulterio sentiat probum, solatiorum conjugialium privationem, majorémque difficultatem in prolium ex adultera legitime susceptarum educatione, earumque ad conjugia & officia statui convenientia promotione: quæ onera haud sanè levia, imò graviora sunt, quàm ut ex dote proveniente quòcunque emolumentò valeant compensari: tum verò; quia uxoris alendæ & similia onera doti annexa solummodo sunt, quamdiu dos manet: non etiam, quando mutata qualitate habet rationem pœnæ. Unde mirum non est; quòd ratione rei dotalis, postquam in pœnam transit, maritus: uti & legatarius ratione legati rei particularis commodum percipiant sine onere; cùm, sine isto illud percipi, Regula tantùm vetet, quando rei, ex qua commodum percipitur, onus aliquod est annexum: non omni casu; cùm alias liberalis donatio penitus excluderetur.

REGVLA LXI.

In re Communi potior est conditio prohibentis.

SUMMARIUM.

1. Sermo est de re communi pluribus ut singulis.
2. Regula sensus & ratio,
3. Etque consona Juris definitiones.
4. Non procedit, cùm cessat lesio prohibentis,
5. Vel res adhibetur ad usum destinatum;

6. Cùm

6. *Cum agitur de rei communis conseruatione,*
7. *Ejusve ex justa causa petitur divisio:*
8. *Cum rei usus bonum alicujus tertii,*
9. *Vel utilitatem communis spectat:*
10. *Cum aliud possit favor Eisci,*
11. *Libertatis & aliquando liberationis.*

1. **R**EI communis nomine intelligitur ea, quæ indivisa ad duos vel plures, non ut universos, sed ut singulos pertinet; ut ejus dominium vel condominium uterque vel omnes habeant, ut colligitur ex *prin. l. Sabinus 28. ff. Communis divid.* Quando autem ad plures, ut singulos, non ut universos, res pertineat, dictum est ad *Reg. Quod omnes 24. n. 1.* ex qua hæc promanant.

2. Ei proinde consentaneus præsentis Regulæ sensus est, *Quando de re, ad duos vel plures ut singulos pertinente, aliquid v.g. ejus alienatio, reparatio, destructio aut aliud, quod singulorum interest, decernendum, & inter eos dissensio est, prævalent, qui id prohibent sive contradicendo se opponunt, etiamsi unicuique esset: quò sensu l. cit. Sabinus ait, In re communi neminem dominorum jure facere quidquam invito alterò posse. Unde manifestum est, prohibendi jus esse; in re enim pari potiorem causam esse prohibentis constat. Ratio est, quod iniquum sit, alienò factò quemquam lædi aut juris sui pati diminutionem, l. Non debet 75. ff. hie; cum Naturalis Juris præceptò doceamur, Proximum non ledere, suum cuique tribuere, l. Justitia 10. ff. & s. Juris 3. Instit. de J. & J.*

3. Hinc certè post matrimonium consummatum neutri, invitò aut ignorante alterò, permittus est ingressus Religi-

onis, *can. l. Si dicat 33. q. 9. c. Quidam 3. & c. Placet 12. de Convers. conjug. & prælati electio per compromissum celebrari, vel ad suffragium in ea ferendum extraneus admitti, unò capitularium contradicente, non potest, ut arg. e. In causis 30. & c. Scripsum 4. de Elect. ad hanc Rubric. dictum n. 43. & n. 198. Hinc etiam, si duo molendinum habeant commune & repugnante alterò, alter mutet aliquid v.g. multiplicandò rotas &c. ille, quod innovatum est, tollere ne refusus quidem expensis potest, Gaill. *Lib. 2. Observat 69. n. 22.* ubi allegato *Jafone in l. Ex hoc jure 5. ff. de J. & J.* ostendit, castrum à duobus fratribus pro indiviso possessum ab altero pro parte sua per donationem &c. in vicinà Principem transferri sine fratris injuria non posse. Quæ & propositæ Regulæ sensum luculenter approbat *Cajus JCT. in l. Parietem 8. ff. de Servit. Urb. præd.* ubi ait, *Parietem, qui Naturali ratione communis est, alterutri vicinorum demolienti cum jus non esse; quia solus dominus non est: quæ responsio procedit, etiamsi beneficium facturus reponat meliorem; quia parietis dominus solus non est, & invito beneficium non datur, Canisius hæc Reg. & Gaill. l. cit. n. 12.**

4. Ne autem in re communi unius prohibitio Juri alterius aut etiam publicæ utilitati facilè deroget, Regula temperanda est non unà tantùm limitatione. Et imprimis quidem, ut alterius contradictione non obstante alteri permittantur ea, quæ socii jus non lædunt; sic enim duobus communem parietem incrustare & pretiosis picturis exornare, l. *Quidam 12. §. fin. & scalas etiam, quæ remove-ri valeant, ad illum habere, utriusque socio est permittum, l. Fistula 18. §. fin. ff. de Servit. præd. Urb.* cum quilibet pati debeat id, quod sibi non nocet & alteri prodest,

0000

prodest, l. 1. §. 11. ff. de Aqua pluvia arc. Canifius & Gaill. l. cit.

5. Secundò; ut re communi uti, sociorum unò invitò, alteri liceat ad destinatos usus; ut, si communem habeant sepulturam, mortuum suum in eam valeat inferre, l. Si plures 41. ff. de Relig. & sumpt. fun. Sic etiam navis usufructuario, eà ad navigationem uti, periculò naufragii imminente & proprietariò prohibente, permittitur, l. Arboribus 12. §. 1. ff. de Usufructu; navis etenim, ut §. cit. Ulpianus ait, ad hoc paratur; ut naviget.

6. Tertio, ut, poscente necessitate, rem communem conservare, v.g. parietem fulcire, trabem in murum immittere, retectum reficere, aliave reparatione ædificium ruinosum servare alter, alterò prohibente, possit, l. Si ades 12. ff. Communi divid. & l. Si ut proponis 4. C. de Edif. privat. quò is, qui in ædificii communis refectionem sumptus conferre detrectat, si à socio in eam factos pro parte sua restituere recuset, dominii, quod in illo habet, ademptione punitur.

7. Quarto; ut, si communio difficilis appareat, vel ex causa aliqua displiceat, provocare socium valeat ad divisionem, l. Fin. C. Communi divid. aut, si hanc res non admittat, ad aliam super ea conventionem; ut sedentur vel evitentur discordiæ & alia incommoda, quæ communio seu communis possessio parit, l. Si pater 77. §. 20. ff. de Legat. 2.

8. Quintò, quando jus sive ejus exercitium primò & principaliter non plurium consentientium vel prohibentium, sed alicujus tertii bonum & utilitatem spectat, potior plurium in id consentientium quàm unius aut etiam plurium, sed numerò pauciorum, contradicentium conditio est; sic enim, licet pluribus iudicibus vel compatronis officium judican-

di, vel clericum ad Ecclesiam vel beneficium vacans presentandi jus ut singulis competat, major tamen in eandem sententiam vel personam conspirantium plurium, quàm unius vel paucorum dissentientium ratio habetur, l. Duo ex tribus 39. ff. de Re judic. & c. Quoniam 3. de Jure Patron. quòd judicandi officium, non judicantium, sed litigantium & Reipublicæ, & Patronatùs jus actùsque presentationis, non patronorum, sed Ecclesiæ utilitatem & favorem animarum spectet, Barbola hic n. 4. & 7.

9. Sextò, quando de rebus, quæ pluribus ut singulis competunt, cum præjudicio singulorum aliquid decernitur in bonum communitatis, quam tanquam membra constituunt, potior plurium consentientium, quàm unius vel paucorum prohibentium, conditio est, & ratio habetur præsertim, si res singuli habeant à communitate vel collegii jure; sic enim, licet præbendarum suarum fructus ac proventus ad Canonicos ut singulos pertineant, casu tamen, quò de Ecclesiæ ruinam minitantis fabricæ reparandâ agitur; & quòd necessarij sumptus aliunde deficiant, ab illorum singulis partem reddituum præbendarum suarum ad eam conferendam per majora suffragia, aliquibus etiam dissentientibus, decernitur, prævalent & à singulis observanda sunt, quæ pluribus placuerunt ex rescripto Innocentii III. c. fin. de U. qua à majori, Sarmiento de Redit. p. 3. cap. 3. à n. 8. & alijs DD. relatis cit. Barbola n. 8.

10. Septimò, speciale etiam fisci privilegium est; ut rem, quam cum privato communem habet, quò pluris vendat, totam distrahere valeat, sociò invitò ac reclamante, l. Multum 2. C. de Commun. rer. alien. & l. Unica C. de Vendit. rer. fisci. Equitatis tamen & honestatis ratio poscere videtur, socium à fisco ad-

moneri,

moneri; ut, si rem emere ipse velit, aliis præferatur, Salicetus in *l. Multum cit.* & Covarruvias, *Lib. 3. Var. cap. 4. n. 8.*

31. Octavo, singularis quoque commiserationis affectu & favore libertatis statutum est; ut servus duobus communis, ab eorum uno manumissus, consequatur libertatem, & in hanc consentire alter licet invitus teneatur, *l. 1. C. Commun. de Manumiss.* Simili modo liberationis favore plurium creditorum in partis debiti remissionem contentientium majorem, quam cæterorum creditorum rationem aliquando haberi, ad *Reg. Quod omnes 24. circa finem* est dictum.

REGULA LVII.

Contra eum, qui legem dicere potuit aperiùs, est interpretatio faciendâ.

SUMMARIUM.

1. *Regulâ hæc de pactis &c. est sermo.*
2. *Ejus sensus istiusque declaratio:*
3. *Et ratio Regule.*
4. *Ex ea deducta Corrollaria.*
5. *Variis casibus etiam in pactis, contractibus &c.*
6. *Et in aliis artibus multis serè non procedit.*

1. **L**egis nomine hæc locò præcipuè veniunt pacta & conditiones, contractibus solitè apponi quâ significatione etiam accipitur, *l. Si per emptorem 51. ff. de Actio. empti l. Legem 10. C. de Pactis & l. Contractus 23. V. Legem enim contractus dedit. ff. hic;* quòd, licet aliis quoque actibus, maxime tamen contractibus sit accommodata.

2. Sensus Regule est, *Pactionum, con-*

*tractuum, legum &c. verba dubia interpretanda sunt contra proferentem sive eum, à quo dicta aut scripta sunt ad alterum obligandum: isque sibi imputare debet; quòd, cum faciliè potuisset, aperiùs tamen non sit locutus, & intentionem suam sive obligationem, quam alteri voluit imponere, clariùs non expresserit, ut colligitur ex *l. Veteribus 39. ff. de Pa. tit.* ubi Papinianus, *Veteribus placuisse, ait, pactionem obscuram & ambiguam venditori & ei, qui locavit, nocere, in quorum potestate fuit, legem aperiùs conscribere.* Consonat *l. Labeo 21. ff. de Contrab. empt.**

Proferens autem censetur non solum is, à quo dicta, scripta ve ea esse constat, sed is quoque, cujus favore dicta, scripta ve sunt ab alio. Unde, si contrahentium neuter protulit verba obscura, sed tertius quispiam v.g. Notarius, attendendum est, in cujus favorem & utilitatem apposita sint: & interpretatio faciendâ contra eum; quia ab eo prolatorum instar habentur, *Castro in l. Veteribus 41. & Tuschus Practic. V. Verba, conclus. 106. n. 8. 22. & 23.*

Ratio Regule est partim; quia in obscuris sequi oportet, quod minimum est, *Reg. In obscuris 30.* jam declarata: & in dubio non imponere obligationem, *l. Arrianus 47. ff. de V. O.* quòd, obscura & ambigua locutionis interpretatione contra proferentem factâ, obtinetur; partim verò; quia is, qui alterum sibi obligatum, sive ab obligatione liberatum asserit, id probare debet, *l. Ei incumbit 2. ff. Et. 1. C. de Probat.* non quomodo-cunque, sed probatione clara & concludente; quia probatio dubia non relevat, *c. In presentia 8. & l. Neque natales 10. C. de Probat.* Cùm ergo verba obscura & dubia obligationis vel liberationis claram & concludentem probat-

O o o o 2 onem

onem non fundent, merito ea contra proferentem, tanquam assertionem suam non probantem, interpretatur; ut obscuritas vel ambiguitas locutionis noceat auctori sive ei, qui intentionem suam, cum facile potuisset, clarius non expressit. Unde

4. Infertur primò, casu, quò contra suam Professionem excipiens, eam ætate minori editam, ita asserit; ut, verborum tenore spectatò, dubium sit, an de ætate 14. vel 25. annis minore sit locutus, interpretatione contra eum factà 25. annis minor fuisse intelligitur, ut obscurà probatione non relevetur, *c. In presentia cit. V. Præterea*. Secundò, si reus actorem ab agendo repellat excipiendò, ipsum esse excommunicatum, & censuram hanc prober ex facta ab eo petitione absolutionis, hæc etiam probatà exceptionem suam fundatam non habet; quòd absolutio peti potuerit ad cautelam; & in dubio, interpretatione contra proferentem factà, sic petita intelligatur, Felinus *in c. cit.* Tertio casu, quò Titius duarum ædium, quas contiguas habebat, alteram vendens contractui apposuit, stillicidia, ut nunc sunt, permanura; & dubium est, an servitus hæc venditis vel retentis imposita fuerit, retentis apposta iudicatur, interpretatione factà contra venditorem, pactum contractui apponentem, *l. Cum in lege 33. ff. de Contrab. empt.*

5. Quantumvis autem Regulæ huic locus sit non solum in pactis & contractibus, tam bonæ fidei quàm stricti Juris, *l. Veteribus & l. Labeo cit.* sed in legibus quòque, statutis, ac privilegiis, in investituris feudalibus, in calculis & subductis rationibus &c. exceptiones tamen ab ea tam multæ sunt; ut earum plenâ enumeratione penè absorberi & evanescere Regula videatur. Ex iis notatu digniores libet referre,

Primò ergo ea non procedit, cum ex eo, quod actum est, aut aliunde de proferentis mente certò aut verisimiliter constet; quia, sicut sequimur minimum juxta dicta *Reg. Inspicimus 45. in fine*, sic etiam contra proferentem verba tum demum interpretatur, cum de proferentis mente aliunde, ne verisimiliter quidem, constet, Peckius *hic n. 6. ad 12.*

Secundò, si contra proferentem factà interpretatione dispositio cassa effectus aut irrita evaderet; cum omnis interpretatio sic faciendâ sit; ut verba aliquid operentur, *l. Item veniunt 20. §. 6. in fine. ff. de Petiti. heredit.* & dispositio valeat potius, quàm pereat, *l. Quotiens 11. ff. de Reb. dub. Tufchus cit. concl. 106. n. 33. Cn. 44. & Peckius de Testam. conjug. Lib. 5. cap. 5. n. 1.*

Tertio, si contra proferentem facta interpretatio involveret delictum, ad hoc excludendum pro ea faciendâ interpretatio est; quòd generatim actus, quando ad prohibitum & permissum potest, ad hoc potius, quàm illud sit trahendus, *l. Item apud Labeonem 11. §. 36. ff. de Injuria, Tiraquell. de Retract. §. 30. gloss. 2. n. 24. & Menoch. Lib. 1. Consil. 37. n. 104.*

Quartò, in libello actoris & accusatoris, si quis intentione ambigua vel oratione obscurâ usus sit, id, quod utilius est, accipiendum, Ulpianus respondit *l. Si quis 66. ff. de Judiciis*. Idem est de aliis preparatoris iudiciorum, juxta dicta ad *Reg. Cum sunt 11. in fine*. In decisoris tamen à Regula non recedendū & interpretatio faciendâ est contra proferentem, non actorem duntaxat, sed reum quoque; cum, sicut ineptè intentionem suam fundans actor succumbit, sic & reus ineptè excipiens condemnatur Bartol. *in l. Si quis ita 3. §. 7. ff. de Adimend. legat.*

Quintò

Quintò in donationibus; quantumvis enim istæ alias pro donatario contra donantem, saltem Principem, latissimam interpretationem admittant, c. *Cum dilecti* 6. de Donat. & l. *Beneficium* 3. ff. de Constitut. Princip. nihilominus non tam contra, quam pro donante interpretationem admittunt, si iis quæsitò tertii aut communi juri derogetur: si non conlter, donationem esse factam; cum donare, quod suum jactare & perdere est, l. *Filius familias* 7. pr. ff. de Donat. nemo præsumatur, l. *Cum de indebito* 25. pr. V. *Sine vero* ff. de Probat. Si dubium sit, an plus minusve sit donatum, hoc posterius est amplectendum, arg. l. *cir. Ec.* Tufchus *Prætic. V. Donatio* conclus. 626.

Sextò, in votis; cum, si dubia rei promissæ quantitas sit, vovens non ad majorem, sed ad minorem duntaxat, utilem tamen quantitatem sit cogendus, interpretatione non contra, sed pro vovente facta, c. *Ex parte* 18. de Censibus, ut dictum *Lib. 3. tit. 34. n. 28.*

Septimò, in ultimis voluntatibus; cum testamenti jam perfecti interpretatio testatori, dum vivit, apertè permittatur, l. *Heredes* 21. §. 1. ff. *Qui testam. fac. poss.* quòd, id interpretandò, testamentum eoque contentam ultimam suam voluntatem non mutet, neque aliquid conferat, sed datum solummodo declaret. Ejus autem vitæ functi voluntatem pro ipso, ut valeat potius, quam pereat, interpretamur, arg. l. *fin. C. de Usufructu*, Tufchus *cit. conclus. 106.* In legatis autem ab eo relictis, quando quoad rem legatam dubia sunt, ut plurimum electio hæredis, l. *Si quis* 32. §. 1. & l. *Legato* 37. qui minimum præstando satisfacit, l. *Si ita* 14. in fine: læpe tamen etiam legatarii est, l. *Qui duos* 20. ff. de Legat. 1. qui eligere non potest optimum, nec pessimum accipere tenetur, §. *Si generaliter*

22. *Instit. de Legat. Laiman Lib. 3. p. 5. errat. §. cap. 11. n. 9.*

Octavò in sententiis, confessionibus &c. Dynus ad *hanc Reg. n. 6.* & latè Tufchus *conclus. cit.*

REGULA LVIII.

Non est obligatorium, contra bonos mores præstitum Juramentum.

SUMMARIUM.

1. *Quando Juramentum contra bonos mores sit.*
2. *Regula sensus, remissivè.*

Contra bonos mores præstitum dicitur Juramentum, quod turpitudinem continet ex parte objecti sive rei eò promissæ; quòd hæc inhonesta & Naturali, Divino, vel humano Jure prohibita sit: uti &, quòd per se & ex conceptione sua ad delinquendum, vg. delicto committendo impunitatem promittendò, invitatur, per tradita *Lib. 2. tit. 24. à n. 42.* Unde

Propositæ Regulæ sensus est, *Invalidum & obligandi vi destitutum est omne Juramentum, quò aliquid Jure illicitum & inhonestum promittitur, vel is, cui præstitum est, per se ad liberius delinquendum invitatur.* Quò sensu accepta hæc Regula ratione firmata & latè declarata est *cit. Tit. 24. à n. 43.*

REGULA LIX.

Dolò facit, qui petit, quòd restituere oportet eundem.

SUMMARIUM.

1. *Similia huic Regula Civilis,*
O o o o ;
2. *Utrius.*

2. *Utriusque sensus geminâ limitatione restrictus.*
3. *Ratio utriusque,*
4. *Et consona juris definitiones,*
5. *Instantia ex eodem objecta,*
6. *Et cum ea conciliata.*
1. **C**onsonat Regula 173. in *Pandectis*: cujus 9. 3. & l. *Dolo 8. pr. ff. de Doli mali except.* Paulus *JCT.* ait, *Dolo facit, qui petit, quod redditurus est.* Utraque Regula nititur præsumptione: & ne commodatum petentes & rogantes mutuuum doli argui possint, sic exaudienda est; ut
2. Sensus sit, *Qui ab altero petit id, quod eidem & mox restituere tenetur, dolo facere & alterum fraudandi animo petere præsumitur*: quæ, ut alia Juris præsumptiones, pro veritate habetur, donec contrarium probetur, *arg. l. Ab ea 5. ff. de Probat. Eidem* inquam, & *Mox*; quia Regula locus non est, quando restitutio non eidem, sed tertio alicui, vel post intervallum temporis, non solum miserationis causâ indulti, sed ex obligatione, ex conventionem vel alterius voluntate orta, est facienda. Exemplum prioris habemus in commodatario, qui rem, post expletum usum & tempus furto ablatam, rectè à fure repetit; quòd recepta non ipsi furi, sed commodanti ejus domino sit restituenda, *e. Unico, de Commodato.* Posterioris in patre, qui à filia sua Titii uxore hæres scriptus & rogatus est; ut hæreditatem post mortem suam nepoti testatricis & Titii filio restituat; hoc enim casu, si pater defunctæ filia res à Titio repetat, ab isto submoveri non potest doli exceptione; quòd eas nepoti restituere teneatur; quia pater habet dilationem temporis; cum eas receptas nepoti suo non statim, sed post mortem primum restituere teneatur, ut eleganter Scævola respondit *l. fin. §. 1. ff. Ut legat. nom. caveatur.*
- Ratio Regula est; quòd, cum causa petendi rem, quæ retineri non potuit, iusta planè nulla occurrat, bona fides abesse & ex mera malitia fraudandique intentione peti videatur id, quod acceptum eidem mox reddi oportet: malitiis autem hominum non indulgendum, sed occurrendum sit, *l. In fundo 38. ff. de R. V.* Accedit; quòd lex & natura ipsa à circuitu & ambagibus abhorreat: neque committat, ut fiat pluribus, quod paucis valet expediri, *arg. l. 1. C. Ne uxor pro marito;* & propterea alteri relinqui malit, quod mox, ut acceptum est, ipsi reddi oportet.
- Quare foeneratori usuras petenti rectè doli objicitur exceptio; quod exactas, postquam accepit, restituere statim teneatur, *e. Cum tu 5. c. Tua 12. C. de Usuris.* Quæ eadem exceptione etiam submoveri potest hæres, qui, licet à testatore damnatus sit, ne peteret à debitore, ab isto nihilominus debiti solutionem petit, *l. Dolo cit. §. 1.* Simili modo marito, dotem à socero promissam & nondum solutam, uxore iam mortuâ, petenti, obstat exceptio doli à socero objecta *l. Apud Celsum 4. §. 2. ff. de Doli & metus exceptione.* Neque hoc casu pro eo facit; quòd soluto matrimonio dotem non statim, sed post annum restituere teneatur, *l. 1. C. de Rei uxor ad.* quia tempus hoc ei ad dotis antè receptæ restitutionem indultum est causâ solius miserationis; quòd, cum pecuniam sæpe paratam non habeat, spatio aliquò temporis opus habeat ad eam conquirendam. Quæ ratio cum in dote non soluta cesser, hanc etiam intra annum petentem doli exceptione focer Jure repellit.
- Non desunt quidem etiam, quæ hanc doli exceptionem infirmant; cum ea non obstat Primò pecuniam depositam petenti à depositario, cujus deponens v.g. ex emptione adium debitor est, *l. Si quis*

11. *pr. C. Deposit.* Secundo Possessorio recuperanda agenti pro re, cujus possessione ab ipso ejus domino est dejectus, *l. 1. V. Sed post, C. Si per vim & l. Si quis 7. V. Quod si, C. ad L. Jul. de Adult.* Tertio; quia etiam heres à legatario legatum, quod is propria autoritate occupavit, repetens doli exceptione nequit submoveri, *l. 1. §. 2. ff. Quorum legatorum.* Marito quoque res quasdam dotales ab uxore amotas ab eadem repetenti eadem exceptio opponi non potest, *l. Si mulier 2. §. 3. ff. Rer. amot.* quantumvis hi omnes petant id, cujus restituendi obligatione tenentur.

6. Ad hæc tamen etiam expedita responsio est. Ad primum quidem; quia *l. Si quis cit.* ob bonæ fidei in deposito exuberantiam, sola ejus cum alia compensatio, deductio, & doli etiam exceptio, in rei dominio non fundata, denegatur: non retentio rei, cujus dominum ipsum depositarium esse, apparet; cum adversus depositarium, apud quem res sua deposita est, depositum nullam actionem deponenti pariat ad recipiendam possessionem rei, quam ipsius depositarii esse constat, per expressum textum *l. Qui rem suam 15. ff. Deposit.* Haunold. *Tom. 4. de J. & T. tract. 10. n. 818.*

Non magis urget alterum; quamvis enim communis plurium & rigore Juris spectatō verior Opinio sit, spoliatum etiam prædonem, Unde vi interdicto adversus ipsum dominum agentem, ante omnia restituendum; ac proinde, *l. 1. & l. Si quis 7. cit.* à proposita Regula exceptionem proditam favore publicæ tranquillitatis, sæpe adducendæ in discrimen, si insuper habitō judicis officio rerum domini jus sibi ipsi dicerent: quamvis, inquam, hoc ita sit, æquitate tamen spectatâ, prædones & alios possessores notoriè injustos adversus spoliatorem dominum

non restitui, ex aliorum numerō non pauciorum & magni nominis DD. sententia dictum est *Lib. 2. tit. 13. à n. 25.*

Neque vim contra Regulam habet exceptio doli ideo non obstat; quod, id reddi, ejus interfit, ut deducat, quod ipsi ex lege Falcidia debetur, Bruneman. *in l. 1. cit. n. 89.* & quod legatario aliquando relicta sit res una ex pluribus, ipsius arbitrio eligenda, Zæsius *ad l. 1. cit.* Maritus quoque eadem exceptione non submoveretur; quod rem dotalem subtractam restitui ipsius maxime interfit, propter commoditatem dotis & medii temporis interfuturum ipsi debitum, Zæsius *in l. Dolo cit. n. 8.*

REGVLA LX.

Non est in Mora, qui potest legitima exceptione se tueri.

SUMMARIUM.

1. *Quis in mora dicatur, remissivè.*
2. *Affinis huic Regula Civilis.*
3. *Utriusque sensus, ratione,*
4. *Ex objectorum solutione firmatus.*

In mora, sive morosus debitor dicitur, qui, cum se debere sciat, aut scire facile possit, nihilominus ab homine vel die interpellatus non solvit, aut præstat, quod debet, ut ad *Reg. Mora 25.* pluribus est explicatum.

Ceterum hoc loco propositæ lucem non modicam affert, ab eaque vicissim accipit *Juris Civilis Regula 88.* cujus tenor est; *Nulla intelligitur mora ibi fieri, ubi nulla petitio est, vel, si qua est, exceptio ne elidi potest; cum, ut ejusdem *Juri. Regula 112.* JCT.⁹ ait, Nihil interfit, ipsò Jure quæ actionem non habeat, an per exceptionem infirmetur.*

Quare

3. Quare non malè quis, Canonicam à Civili illa verbis duntaxat non sententia differre, asserat; sensus enim utriusque idem est, *In mora sive morosus non est, à quo solutio vel alicujus rei præstatio peti jure non potest, vel petenti opponi potest exceptio legitima, sive talis, qua à petitore per replicationem nequeat elidi*; Dynus *hic n. 2.* cujusmodi sunt exceptiones pacti de non petendo, doli mali, metus, jurisjurandi & similes: item; quòd debitum non sit liquidum, aut contractus à petitore non impletus: quòd solutionis tempus nondum advenit, vel ea aut compensatio sit facta: quòd, cum in tempore offerretur, non fuerit admittenda: quòd eadem impossibilis aut justò difficilior sit &c. Ratio est; quia is, à quo solutio vel præstatio aliqua peti non potest: vel, si peti possit ac petatur, ne solvat, aut præstet, legitimam exceptionem defenditur, ad solutionem vel præstationem non obligatur; ac proinde solutionis vel præstationis omissione dilatio ne non delinquit, is autem, qui non delinquit, in mora sive morosus non est; cum mora sit delictum, & dolum vel culpam latam præsupponat, *l. Quòd re 5. ff. de Reb. credit. adeò; ut verè morosus furi ac prædatori æquiparetur, apud Barbofam Lib. 11. Axiomat. cap. 48. axiom. 7.*

4. Neque Regulæ sic declaratæ officit Primò; quòd morosus reputetur, *Qui litigare, hoc est, excipiendò in judicio se tueri maluit, quàm restituere*; *l. Nemo 82. in fine. ff. de V. O.* quia verba hæc exaudienda sunt de eo, qui litigare maluit, cum exceptione legitimam se tueri non posset; cum, qui legitimam tutus est, justè ad judicium provocet; eum autem, qui ad judicium justè provocat, in solvendi vel restituendi mora esse, apertè negetur *l. Si quis solutioni 24. pr. ff. de Usuris*; quòd ælione pulsatus rei possessor eam protè-

nus dimittere, jusque suum indefensum temere relinquere non teneatur, *l. Illud quoque 40. ff. de Heredit. petit. Gaill. Lib. 1. observat. 5. n. 5. & Bruneman. in l. cit. n. 1.*

Neque secundò; quòd in mora esse & contumax reputetur, qui à judice non suo in jus vocatus non comparet, *l. Si quis ex aliena 5. ff. de Judiciis*, quantumvis incompetentiæ exceptione legitima defendatur, *l. fin. ff. de Jurisdic.* quia, juxta dicta *Lib. 2. tit. 2. n. 18.* hoc verum non est casu, quòd exemptio à jurisdictione & Fori incompetentiæ notoria est; cum tali casu in jus vocanti impunè & justè quoque non pareatur, *l. fin. cit. & c. fin. de Constitut. in 6.* Casu autem, quòd illa notoria non est, à judice citatus comparere saltem tenetur ad opponendam incompetentiæ seu fori declinatoriam exceptionem, *l. Si quis cit. & l. Ex quacunq. 2. ff. Si quis in jus Vocat.* Ut mirum non sit; quòd, si hoc casu non compareat, morosus reputetur.

Neque tertio; quòd hæres, à legatario pro re legata præstanda actione personali ex testamento conventus & condemnatus, ad fructuum post litem contestatam perceptorum restitutionem teneatur, *l. In fideicommissi 3. pr. ff. de Usuris*; ac proinde mora ei non noceat, quantumvis se tueri valeat exceptione, debitoribus ex actione personali condemnatis competente, ne intra certum tempus ad solvendum cogi possint, *l. Debitoribus 31. ff. de Rejudic.* Non, inquam, etiam hoc Regulæ officit; quia hæres ad fructuum illorum restitutionem non tenetur ratione moræ: sed, ne ex re legatarii & cum istius jactura locupletior fiat, contra *Reg. Locupletari 48.* ex declaratis; cum ei temporis dilatio Jure concessa non sit ad captationem lucri sed, ut à damno præservetur, *Salycet. in l. In fideicommissi cit.*

REGU-

REGULA LXI.

Quod ob Gratiā alicui conce-
ditur, non est in ejus Dispen-
dium retorquendum.

SUMMARIUM.

1. Simili huic Regula prodita est Jure Civili.
2. Ejus sensus, ratioque,
3. Et passim obvia ei que consona Juris definitiones.
4. Instantia ex eodem solita opponi,
5. Cum Regula conciliantur.

1. **E**Adem non obscure à Modestino JCT.º l. Nulla 25, ff. de LL. & perspicue omnino tradita est ab Imp. Theodof. & Valent. Cæs. quorum Imperiali majestate non minus quam humanitate in subiectos dignissimum ad Florentinum P.P. rescriptum est, Quod favore quorundam constitutum est, ad laesionem eorum nolumus inventum videri, l. 6. C. de LL.

2. Huic proinde consentaneus propositæ Regulæ sensus est, Quod alicui conceditur tanquam favor, gratia & beneficium, sequiori interpretatione in eam sententiam trabendum non est; ut ipsi sit oneri, incommodo, detrimento. Ratio est; quia inducta ad effectum & finem unum, non debent ab eo sine abducere & effectum contrarium producere, l. Nam & judices 2. §. 9. V. fin. C. de Jurando propter calumn. ne actus agentis non ultra duntaxat, quod l. Non minus 19 ff. Si cert. petat. inhibetur: sed contra ejus intentionem operetur. Et profecto si, quod concessum est ob gratiam & favorem, in odium ac dispendium retorqueretur, naturâ suâ exutâ, jam non gratia & favor,

sed odium atque onus foret: nec tam expeteretur, quam fugeretur.

3. **E**xempla obvia sunt; sic enim oeconomus Ecclesiæ istius rerum inventarium conficere tenetur, quin species quasdam quasi pro labore subtrahere possit; ne Ecclesiæ favore bonoque introducta confessio inventarii ipsi damnosa evadat, *can. Charitatem 12. q. 2.* Sic etiam minor, licet in beneficialibus cæterisque spiritibus causis & dependentibus ab eis pro majore habeatur, *c. fin. pr. de Judicis in 6. & contra eum sine curatore litigantem lata sententia Jure invalida sit, l. Acta 44. & l. Contra 54. ff. de Re judic.* beneficium tamen inconsultâ renuntiatione læsus in integrum restitutionis auxiliò, ætate minoribus competente, ei subveniri, *Lib. 1. tit. 41. n. 61.* pro eoque indefenso latâ sententiam subsistere, per l. Non eo minus 4. C. de Procurat. *Lib. 2. tit. 1. n. 32.* est dictum. Eodem modo, licet favore ætatis pupillo motæ quæstionis statûs cognitio discussioque ad tempus pubertatis differenda sit, casu tamen, quò manifestæ probationes pro eo habentur, decidi incontinenti potest, *l. Carbonianum 3. §. 5. ff. de Carbon. Edict.* Clericis quoque & stultiosis competens privilegium civitatis non porrigitur ad onera, quæ civibus imponuntur, Baldus in l. Ruffinus 4. C. de Testam. milit. & Professores Juris plebeis nati parentibus, licet viginti annis continuatâ prælectione nobilitatem ipso Jure consequantur, *l. 1. C. de Profess. qui in Urbe Constantinop. admitti tamen nihilominus possunt ad officia publica, quæ nobilibus denegantur, Castro in l. Nullacit. Novi quoque privilegii concessione vetera intacta potius vel confirmata, quam revocata intelliguntur, l. fin. C. de Præposit. agent. in reb. Jason in l. Legata 19. ff. de Legat. 1. n. 13.* Quorum omnium ratio est; ne id, quod concessum est ob favorem,

P P P

contra

contra præsentem Regulam in odium ac dispendium retorquetur.

4. Sed, sicut ista pro Regula, sic contra eam pugnant pariter obvia exempla dispendii ex favore imminenti; nam primò favore pupilli constituta tutoris auctoritas etiam non leve dispendium affert; cum, ea non interveniente, hæreditatem etiam lucrosam adire, ut maximè vestit, non possit, *l. Obligari 9. ff. de 3. C. 1. Inst. de Auct. tut.* Secundò, Prælatus, cujus officium ex institutione sua Ecclesiæ favorem & indemnitate spectat, repudiare hæreditatem & legatum eidem relictum potest, per deducta *Lib. 3. tit. 24. à n. 48.* Tertio, eodem fine Ecclesiasticarum rerum alienationi præscripta solemnitas Ecclesiæ quandoque damnosa est; quòd rei procul sitæ & inutilis venditio & cum alia ipsi vicina & maximè profutura permutatio non solennis, licet utilissima sit, jure tamen non subsistat, *can. Sine exceptione 12. q. 2. c. 1. c. Tua 8. C. de lit. qua à Prælat.* Quartò ipsa etiam nobilitatis prærogativa personis eà condecoratis nociva est; cum criminum quorundam severior in nobilem animadversio sit, quàm est in plebeium, *l. Quadam 14. ff. de Panis C. l. Omne 6. §. 1. ff. de Re milit.* Quintò, sic etiam dominica potestas dispendiosa quandoque est dominis; cum servo occidente Noxali actione teneatur dominus: licet illum occidere ignoràrit, *l. Si servus 2. ff. de Noxal. act.*

5. Sed ista speciem majorem, quàm vim habent. Primum; quia hæreditatis additio introducta est favore non solius aduentis, sed legatariorum quoque & aliorum, maximè creditorum: quibus, cum ex additione hæreditatis ad solvenda defuncti debita secundum, & si inventarium non confecit, ultra vires hæreditatis, in foro saltem externo hæres obligetur, ad additionem pupillo necessaria omnino est

authoritas tutoris; quòd hac non interveniente obligari & conditionem suam deteriorem facere non possit, *l. Obligari cit.* Casu tamen, quò hæreditatem non esse damnosam evidens foret, additionem sine tutoris auctoritate à pupillo factam tenere, existimare, *arg. l. Non eò minus cit.*

Secundum; quia, si quando Prælatus repudiatione Ecclesiæ damnum patiat, id accidit præter, imò contra intentionem Juris & obligationem ab isto impositam Prælato; qui propterea Ecclesiæ obligatur, quando læsa est ipsius repudiatione: sicut pupillo obligatur tutor, *l. Quidquid 7. C. Arbitr. tutel.* Quod si Prælatus satisfaciendo non sit, Ecclesiæ succurritur in integrum restitutione adversus hæreditatis aut legati repudiationem, *arg. l. 1. C. l. fin. C. si minor ab hæredit. junctò c. 1. de In integ. restit.*

Tertium; quia, si alienatio minùs solennis Ecclesiæ expedire judicetur, is in quem facta est, ad contractus observantiam compelli potest ab Ecclesia: quò tamen casu defectum solemnitatum ex istius parte supplendum, monui *Lib. 3. tit. 13. num. 87. in fine.*

Quartum, cum; quia in delinquentem nobilem severius quàm in plebeium is solum casibus proceditur, quibus crimina aggravantur nobilitate aut in istius contumeliam vergunt: sicut faciunt crimina perduellionis, proditionis, falsi, desertæ militiæ &c. tum verò; quia hujusmodi criminum aliquò se contaminandò nobilitate excidit, seque ejus favore & prærogativis reddit indignum, *Farin. Prax. Criminal. q. 98. n. 93. & Gaill. Lib. 2. observat. 110. à n. 4.*

Postremum; quia dominus Noxali judicio ideo solum tenetur; quia possessor est vel quasi servi delinquentis ex delicto promeriti supplicium, & ipsi imminens apud quemcunque & ubicunque existat.

REGU-

REGVLA LXII.

Nullus ex Consilio, dummodo fraudulento non sit, obligatur.

SUMMARIUM.

1. Sermo est de consilio nocivo.
2. Sensus & ratio Regulae:
3. Quae etiam, si consilium causa damni.
4. Et certio nocivum sit, procedit.
5. Ex consilio dolo dato quis obligatur:
6. Praesertim, si secutus sit effectus.
7. Et, si à consiliario, medico &c. imperitum sit datum.

Consilia expetuntur, & suggeruntur etiam; ut negotia circumspiciantur & utilius gerantur. Non raro tamen accidit, ut ista gerentis intentioni non respondeat eventus, & ex illo damnum sentiat, qui speravit emolumentum: cui casui accommodata est Regula praesens, & illa Ulpiani, *Consilij non fraudulenti nulla obligatio est: si dolo & calliditas intercessit, de dolo actio competit*, quae est 47. in *Pandectis*.

2. Sensus est, *Qui bona fide alicui consilium dedit, reparare non tenetur damnum & sufferre incommodum, quod ex illo prae intentionem est secutum*: quod etiam desumitur ex *l. Mandatum 2. §. fin. ff. & §. Tua 6. Instit. de Mandato*. Ratio est; quod, licet consilio ad negotium gerendum quis instruat ac moveatur, necessitate tamen vel obligatione non constringatur, *c. Cum olim 7. de Arbitris*; eum liberum ei sit, etiam ex intervallo apud se discutere & explorare, an sibi expediat, nec ne, §§. *cite*, ut proinde consi-

lium roganti & non rogatum excipientis, qui dedit, cum Epidico servo apud Plaurum dicere valeat, *Si placet consilium utimur: si non placebit, repetite melius. Mibi isthic nec fertur nec metitur*, five, id utile live damnosum fuisse, eventus probabit. Et quis obsecro consilium unquam daret, si eventu rationi praevalente ex illo imminens damnum ad se, non etiam utilitatem pertinere existimaret?

Eadem etiam patrocinatur consiliario adversus tertium, cujus lucro obstitit consilium intercedens; ut, si ex hoc à Cajo adeatur lucrosa haereditas, quae si ab eo repudiata fuisset, Titio obviesset; vel ab eodem Cajo non sit facta donatio, in eundem conferenda, si Cajum donaturum à proposita liberalitate consilium non abduxisset, Titio non competat actio adversus consiliarium: dummodo iste processerit bona fide & Titii odio iustissime additionem & donationem disuasisset, argui non possit, *arg. l. fin. ff. Si quis aliquem res. prohib.*

Si ex fide non bona consilium processerit, Regulae locum non esse indicatur, verbis, *Consilij non fraudulenti & Dummodo fraudulento non sit*: quibus, fraude suggestum obligatorium esse, aperte insinuat; obligatur enim fraude consilium dans illi, cui id fuit damnosum. Licet autem huic ex fraudulento consilio doli actionem diserte adstruat Ulpianus, haec tamen JCT. assertio vera duntaxat est, si alia actio non competat; cum, si alia jure prodita sit, actio de dolo cesset, *l. 1. §. 4. & l. Si quis 9. ff. de Dolo*, cujus pro consiliarium, qui haereditatem esse minimam affirmandò, ut eam sibi venderet, haeredi callidè persuasit, non de Dolo, sed Venditi actione conveniendum, idem JCT. respondit. Sic etiam Furti agitur adversus eum, cujus consilio res aliena fraudulose contractata, *l. Si quis 12 §.*

P p p 2

a. ff. &

21. ff. & 20. C. de Furtis: & Injuriarum adversus eum, cuius consilio injuria alicui illata est, §. Non solum 11. Instit. de Injuria. Sic lege Julia de adulterio, qui cuiuspiam flagitium hoc persuasit l. Hoc verba 12. l. Is cuius op. 12. ff. ad l. Jul. de adult. lege Cornelia de sicariis, cuius calidè suadentis machinatione innocens iudiciò capitali oppressus est vel naufragus suppressus, l. Eiusdem 3. §. 4. ff. ad l. Cornel. de sicar. & Lege Pompeia tenetur, cuius dolo consilio parricidii crimen est perpetratum, l. Utrum 6. ff. ad l. Pomp. de Parricid. ut quod trita parcemia habet, Consilium malum consultari pessimum sit; cum poena ordinaria infligenda videatur illi, cuius hortatu, iussu, consilio ad perpetrandum crimen quis est inductus, U. c. i. t.

6. Hoc tamen DD. sic mitigant, ut locum habeat, si maligna huiusmodi suggestio facta sit cum effectu, & delictum actu perpetratum, l. Si quis uxori 52. §. 19. ff. de Furtis & l. Sape 52. §. fin. ff. de V. S.

Idipsum aliqui temperant restringendò ad casus, quibus reus absque consilio peccaturus non fuisset: quod tamen DD. aliis, in Iuris rigorem magis quam Clementiæ dictamina intentis, non placet; quòd aperte refragetur l. 1. §. 4. ff. de Servo corrupt. Videre ea de re lubeat Clarum §. fin. q. 89. & Menoch Lib. 2. de Arbitr. casu 35. à n. 17.

7. Non malè in proposita materia excipi solent Asteiores, Consules, Medici & similes; hos enim ex imperito consilio obligari, desumitur ex l. Hoc Edicto 2. ff. Quod quisque iur. in alt. & l. Illicitas 6. §. 7. ff. de Offic. Presid. Ratio est; quia dolo equiparatur culpa lata, l. 1. §. 1. ff. Si mensor fals. mod. dix. & l. Magna 226. ff. de V. S. cuiusmodi culpam committit, qui suscipit & administrat offi-

cium vel profitetur artem; cum scientià ad eam necessaria destituatur: sequè immisceat rei, ad suam cognitionem non pertinenti. Qua de re latè & accuratè Farinac. Prax. Criminal. q. 122. p. 5. n. 6.

REGULA LXIII.

Exceptionem objiciens non videtur de intentione adversarij confiteri.

SUMMARIUM.

1. Sensus & ratio Regule;
2. Exceptio includit tacitam conditionem;
3. Quæ utiliter exprimitur ab excipiente;
4. Solutio objectarum instantiarum;
5. Et Regule restrictio ad Reos.

Idem asseritur l. Non utique 9. ff. de Except. cuius & præsentis Regule explicationem dedi Lib. 2. tit. 25. à n. 33. quò loco deductis hic pauca addere lubet.

Sensus ergò propositæ Regule est Reus, actori ad excludendam ejus intentionem, sine istius absoluta affirmatione, exceptionem opponens, ejus intentionem non confitetur; sic enim rei vindicatione conventus, si rem venditionis, donationis, permutationis titulò ad se pervenisse excipiat, non hoc ipso, actorem ejus dominum fuisse, fateatur; cum rem vendidisse, donatione vel permutatione transfuisse potuerit, qui ejus dominus non fuit. Sic etiam latam sententiam, testamentum, rei præscriptionem non confitetur, qui sententiam vel testamentum valore destitui aut rei, quæ præscripta asseritur, possessionem interruptam excipiendo opponit. Ratio est; quòd sit contra naturam exceptio-

exceptionis; hæc enim; cum actionis five intentionis exclusio sit, *l. Exceptio 2. ff. de Exceptione confessionis effectum ipsi contrarium operari & actoris intentionem corroborare non debet, l. Non omnis 19. ff. de Reb. credit. & l. Legata 10. ff. de Legat. 1.* Unde exceptio tacite inclndit conditionem, si intentionem suam five dominium rei, quam vindicat: si sententiam latam, testamentum conditum vel rem tempore ad præscriptionem Jure definito possessam actor probavit, ut dictum *l. cit.*

2. Hinc certè Regula sensui intersi, *Sine absoluta affirmatione*; si enim criminis homicidii accusatus vel super civili debito conventus, se occidisse aut debitorem quidem fuisse, sed ob necessariam sui defensionem id fecisse, vel quod debebat soluisse, excipiendo assereret, accusatoris vel petitoris intentionem planè confiteri, seu confessionem exceptioni præmitttere; itaque intentionis suæ probandæ onere accusatorem vel actorem sublevasse videretur, arg. *c. Prævea 10. de Transact.* Quare, excipientem cautum esse, & non plus, quam ad ad agentis intentionem excludendam necessariū est, asserere oportere, DD. monēt.
3. Imò, quod Canisus tutissimum ait, reus sibi meliori modò prospiceret, si accusatori vel actori opponeret exceptionem conditionatam, *Non occidi vel, Si occidi id feci ob necessariam mei defensionem: Non sum debitor vel, si fui, jam solvi*; ut hæc ratione accusator vel actor homicidii vel debiti probandi onere non liberetur. Hæc tamen cautela locum non haberet, si reum, an occiderit, an debitum contraxerit, afirmandò vel negandò asserere iudex juberet; cum hoc casu facti confessio vel inficiatio absoluta exigatur, nec admitatur conditionata, Gaill. *Lib. 2. Practic. observat. 106. n. 7. & Fa-*

rinac. *Prax. Criminal. q. 81. à num. 110.* Quæ Regula obijciuntur, eam declarant potius, quam convellant. Et textus quidem *c. Prævea cit. & c. Venerabilem 34. de Elect.* ei non officere, jam ostendi *cit. Tir. 25. n. 34.*

Neque plus roboris habent Primò; quòd solutio & liberatio præsupponat vinculum & obligationem: quæ solutione & liberatione tolli non possunt, si non præcesserunt, *can. Quid verò 32. q. 2.* Ut adeo eum, qui de solutione vel liberatione excipit, debitum & obligationem præcedentem confiteri, sit necesse; hoc enim sponte sua corrumpit ex dictis; cum exceptio solutionis & liberationis non sit absoluta, sed tacite conditionata, *Si debitum & obligatio fuerit probata.*

Neque secundò; quòd, se soluisse asserens, indebitum debeat probare, quasi debitum ex solutione inferatur; cum, si indebitum non probet, eò ipsò debitum fuisse, intelligatur, *l. Cum de indebito 25. ff. de Probat. & c. fin. de Solut.* Non, inquam, hoc officit; quia his textibus sermo non est de excipiente, sed de agente & pecuniam quasi indebitè solutam condicente: & quidem præsumptione Juris, quod solum est, debitum fuisse præsumptis: cujusmodi præsumptio, si reo excipienti obstat, ipsum quoque pro confesso haberi, neque Regula huic locum esse, monui *l. cit.*

Neque tertio; quòd, si testi servilis aut alia macula obijciatur, isque excipiendo, se manumissum aut famæ restitutum, asserat, intentionem adversarii, scilicet servitutem aut maculam objectam confiteri videatur ac repellatur: nisi manumissionem vel restitutionem probet, *Aurb. Si testis C. de Testibus*; nam etiam hoc speciosum magis quam solidum est; quia Regula hæc in iis tantum excepti-

Pp pp ; onibus

onibus locum habet, quæ reo ad exclusionem actionis: non etiam in iis, quibus personæ ex defectu aliquo inhabiles submoventur; cum hæ minoris quam illæ momenti ac præiudicii sint; quia à testibus objecta, etiam si confessionem operentur, eos tamen solummodo à testimonio perhibendo repellunt: ex iis autem, quæ excipiendi obiciuntur actori, si Juris præsumptione pro intentionis confessione haberentur, reus si exceptionem non probaret, causa caderet & actori condemnaretur, Salycet. in *Auth. cit.*

REGVLA LXIV.

Quæ contra Jus sunt, debent utique pro infectis haberi.

SUMMARIUM.

1. *Discrimen inter Jus prohibitiones.*
2. *Sensus & ratio Regule.*
3. *Ex prohibitione actus nullitas non inferitur.*
4. *Idque variorum actuum exemplis ostenditur.*
5. *Juris textus, in contrarium soliti allegari.*
6. *Vel posteriori Jure sunt correcti.*
7. *Vel conciliari cum eo possunt.*

1. **J**Us, sive leges & canones actus aliquos prohibentes, aliquando munitum est clausula irritante, seu verbis aut dictione aliqua denotante nullitatem: aut actibus gerendis formam substantialem præscribit: aliquando eos prohibet simpliciter, hoc est; quin ejusmodi clausulam apponat, aut formam actibus præscribat. Præsens &, sicut difficillima, sic Scholarum & utriusque fori usu tritissima Regula de priori mo-

do prohibitis actibus procedit. Quò suppositò

2. **P**erspicius ejus sensus est, *Quæ sunt contra legem vel canonem munitum clausula irritante, aut actui formam præscribentem ipsò Jure invalida & pro infectu seu non gestu habenda sunt.* Ut proinde actus nullitas ex sola & simplici Juris prohibitionem legitime non inferatur: sed necessarium sit; ut legi vel canoni eum vetanti verba seu dictio aliqua, irritationem & nullitatem denotans, inserta vel forma substantialis actui sit constituta, ut ex communissima DD. sententia sustinent Molina *Tract. 2. de J. & J. disp. 88. n. 14.* Suarez *Lib. 5. de LL. cap. 25. num. 11.* & Sanchez *Lib. 7. de Matrim. disp. 2. n. 10.* Ratio istius sensus est; quòd legislator humanus potestatem habeat non solum præcepto vel prohibitionem obligandi subditos: sed ab his etiam gestos actus irritandi, quando id publicè expedire judicaverit; quia potestas hæc, ad Reipublicæ rectoris gubernationem & commune ejus bonum promovendum, necessaria non minus est, quam potestas obligandi ad aliquid faciendum vel omitendum; cum enim privati conventionibus & contractibus suis legem dicere valeant; ut si non subsistant, nisi condiciones ab ipsis appositæ fuerint observatæ, id utique etiam poterit Respublica, cui privatorum subditorum suorum voluntates & conventiones sunt subiectæ. Eâ autem potestate uti Respublica & humani legum conditores intelliguntur non solum, cum actus prohibitioni expressè adijciunt clausulam irritantem: sed etiam, cum formam substantialem, in contractu, ultima voluntate, electione & aliis actibus observandam, præscribunt; cum enim forma substantialis, tanquam pars rei præstantior, esse ei det, eâ deficiente actum corrumpere est ne-

est necesse, c. *Cum dilecta* 22. de Rescript. c. *Quia propter* 42. de Elect. l. *Julianus* 9. §. 3. ff. ad Exhibend. & l. *Mulieris* 13. §. 1. ff. de V. S. Euerard. *Legal. arg. locò* 53. *Tulchus Practic. V. Forma conclus.* 413. n. 2. cit. & *Suarez cap. 31. n. 2.*

3. Cur autem ex sola & simplici prohibitione contra eam gesti actus nullitas non inferatur, ratio est; quia, licet ea, quæ legis conditorum contemptâ auctoritate contra Juris cuiuscunq; prohibitionem fiunt, legali auctoritate cassari & pro irritis haberi mereantur, cassa tamen & irrita non intelliguntur; nisi prohibitioni inserta ejusmodi clausula, aut forma lege sit præscripta; cum Regulæ instar sit sententia Innocentii III. *Multa prohibentur, que si facta fuerint, roboris obtinent firmitatem, c. Ad Apostolicam* 16. de Regular. cui simile est rescriptum Alexandri III. c. *Ex literis* 2. de Matrim. contra interdict. Rationi huic non parum roboris addit; quod actum Prohibere & Irritare sint diversa; cum prohibere actum sit obligare, ne fiat; irritare autem voluntatem inefficacem reddere ad ejus validam effectiorem. Unde

4. Patet ratio, cur matrimonium extortum metu aut aliter, quam coram proprio parocho & duobus vel tribus testibus præsentibus in initum: professio Religiosa, integrò probationis & decimò sextò ætatis annò nondum expletò, edita: electio contra Concilii Lateranensis, præscriptum c. *Quia propter* cit. celebrata: alienatio rei Ecclesiæ immobilis sine consensu Capituli facta: testamentum prophanum minus solenne & similes actus alii irriti sint ipsò Jure: & contra Jure subsistant matrimonium in initum contra Ecclesiæ vetitum, obtentum dolò vel Continentiæ votò simplici, aut sponsalibus cum alia initis & insuper habitis contractum; Baptismus extra necessita-

tis casum à foemina collatus: Ordinatio clerici & Ecclesiæ consecratio sine proprii commissionis peracta ab Episcopo alieno: excommunicati in judicio deponentis testimonium, contractus metu extorti & innumeri alii actus subsistant: quantumvis contra Jus omnes facti sint. Ratio enim discriminis est; quod posteriores hi Juris prohibitioni simplici: priores illi clausulâ irritante munito aut substantialem formam præferenti Juri adferentur.

5. Quoscunque actus prohibitioni etiam simplici adversantes invalidos esse, sensere Panormit. in c. *Nulli* 5. de Reb. Eccles. alien. n. 7. Sylvester V. *Lex* q. 23. & alii apud Tiraquell. *Connub. l. 1. gloss.* 4. n. 5. & 6. Moventur l. *Non dubium* 5. C. de LL. quâ Imperator, *Nullum*, inquit, *pacium*, *nullum contractum inter eos valere volumus subssecutum, qui contrabunt lege contrahere prohibente* & ut legulato, quod fieri non vult, tantum prohibuisse sufficiat: cetera quasi expressa ex legis liceat voluntate colligere. Quæ Constitutio Imperialis canonizata est à Gregorio Papa, cujus canon est, *Imperiali Constitutione aperte sancitum est; ut ea, quæ contra leges fiunt, non solum inutilia, sed etiam pro infectis habenda sint,* 25. q. 2.

6. Sed prisco huic prævalet c. *Ad Apostolicam* c. *Ex literis* cit. & c. *Unici de Voto* in 6. recentius Jus, arg. c. 1. de Constitut. in 6. & l. *Sed* & posteriores 28. ff. de LL. & utriusque optima interpres Consuetudo, c. *Cum dilectus* 8. de Consuetud.

7. Quin cum Regulæ nostræ sensu Constitutiones etiam veteres mitiori, quam admittunt, interpretatione intellectæ non pugnant, cum; quia de prohibitione, clausula quidem irritante non munita, sed actum aliter, quam servata certa forma, fieri vetante, accipi possunt; & sic accetaz dato

ptæ dato Regulæ sensui non adversantur: tum verò; quia contra Jus facta pro infectis eatenus habentur, quatenus carent robore firmitatis; cum perinde, ut infecta, effectum non sortiantur ope exceptionis vel sententiæ judicialis, juxta illud Joannis Papæ, *Quod contra leges accipiuntur, per leges dissolvi mereantur, can. & dist. 10.*

REGULA LXV.

In pari delicto vel causa potior est conditio possidentis.

SUMMARIUM.

1. Concordantes cum hac Regule Civiles.
2. Earum sensus, firmatur ratione.
3. Et variis exemplis declaratur.
4. Possessionis favor prævalet causis Piis.
5. Solutio Regule objectorum.

1. **C**anonica ista Bonifacius VIII. complexus est principia duarum Juris Civilis, *Regularum* 128. & 154. quarum priori Pauli, *In pari causa possessor potior haberi debet*: posteriori Ulpiani responsum est, *Cum par delictum est duorum, semper oneratur petitor, & melior habetur possessoris causa.*

2. Utræque JCT. & suâ etiam summus Pontifex optimè prospexere possessoribus; cum his oppido favorabilis earum sensus sit, *Cum par duorum causa est, tam in debitis quam in contractibus aliis, melior est conditio possidentis; ut alteri semper prævaleat, & possessione nunquam deiciatur, nisi ad instantiam petitoris, qui meliori Jure utitur.* Ratio est pariter; quia duo tituli fortiores sunt & prævalent uni ex duobus, c. 1. de *Treuga*

& *Aurb. Cessante C. de Legit. hered.* possidens autem duos habet titulos: unum dubium, an res v.g. ad se pertineat, in quo convenit cum petitore adversario suo non possidente: alterum fundatum in præsumptione Juris, in dubio faventis possessioni: quò titulo adversarius caret; ut promde huic merito ille præferatur. Partim verò; quia is, qui possidet, si in judicio Petitorio est reus: rei autem plerumque favorabiliores sunt, quam actores, *Reg. Favorabiliores* 125. ff. & *Reg. Cum sunt 21. in 6.* Utræque promiora ad absolvendum, quam ad condemnandum, l. *Arriannus* 47. ff. de *V. O.*

3. Possessoris in pari casu & delicto prævalentis exempla in Jure & apud DD. obvia sunt; sic enim, si idem beneficium eòdem die à Papa istiusve legato & ab ordinario diversis collatum sit, nec appareat, cujus collatio sit prior, præferatur & beneficium retinet possessor, c. *Si à Sede*, 31. de *Præb. & dignit. in 6.* Si quis dubitet de promissione, v.g. Deo per vorum facta, istò non tenetur patrocinante sibi possessione libertatis, quam à natura acceptam retinet, donec de obligatione aliqua constet, *arg. c. Ex parte* 18. de *Censibus*, quò loco in dubio de rei promissæ quantitate consultus Innocentius III. obligavit ad minorem, si major ex solutionis stabilitate non sit in possessione, *Sotus Lib. 7. de Justitia q. 3. art. 2. & Suarez Lib. 4. de Voto. cap. 5. n. 7.* Si litigantium utriusque testes æque idonei & pares sint, eorum depositiones præferuntur, qui pro possessore, c. *Ex literis* 3. & si uterque se possidere contendat, qui de antiquiori possessione deposuerunt, l. *Licet* 9. de *Præbat.* Si reus excipiat de dolo petitoris seu actoris, huic doli replicatio non datur; quòd utriusque delictum par: & in pari delicto melior sit conditio possidentis, exemplum

exemplum est Ulpiani *Reg. Cum par sit*. Ob hanc causam datum non repetit, qui pecuniam judici pro ferenda sententia iniusta aut meretrici dedit pro sui corporis prostitutione, *can. Non sane 14. q. 5. l. Ubi autem 3. ff. C. l. Cum te 2. G. de Condit. ob turpem caus.* Si inter duos conjuges convenerit; ut altero mortuo bona apud superfitem remaneant: & utroque mortuo, uter eorum prius decesserit, non appareat; atque idcirco duorum utriusque haredum uterque bona ab altero accepta repetat, possessorem præfert Bartolus in *l. Si inter 8. ff. de Reb. dub.* Duobus quoque contententibus de Principatu, si quis meliori Jure utatur, non conset, & Fidelitatis juramentum vasalli possidenti præstent, Jure excusantur; quantumvis Principatum postea ab altero evincatur, Guido Pap. *Decis. 68 C. 92. & Peck. hic n. 2.*

4. Neque possessioni prævalet Ecclesiæ vel alterius causæ Pia favor: quantumvis hujusmodi causarum favor potior sit eò, quò reus gaudet, *c. fin. de Sent. C. re judic.* cum in pari causa reo etiam præferatur actor, qui est possessor, secundum Ruum *Lib. 5. Consil. & Fulgosum Consil. 138. dub. 1. & minor qualitatis litigantium quàm possessionis ratio in judicio habeatur.* Unde Jura, in dubio reum absolvendum clamantia, de reo possessore exaudienda, monent DD. *citt. & Tiracuellus de Jure Primogen. q. 17. opposit. 11. n. 33.*

5. Neque hoc favore possessionis Jura prædoni, furi, & injustis possessoribus aliis patrocinium præstant; quia hos non tuentur contra rerum dominos; cum res his ablatas cum omnibus fructibus restituere, illata damna refarcire, pro injuria quoque satisfacere teneantur, *per c. Gravis 11. de Restit. spoliat. l. 1. §. 31. C. ff. de Vi armata.* Neque refert;

quòd illos tueantur contra actores pari scelere contaminatos; quia sic quoque eis non patrocinantur; cum lucrum, si quod inde habent, auferat filcus: ipsi verò insuper ad pœnas & supplicia promerita trahantur, *Glossa in l. Ubi cit. & Peck. hic n. 8. ad 2.*

Neque tertio; quòd, si uxor viri lenocinio adulterata fuit, licet utriusque delictum sit par, nihilominus matrimonio solutò à viro dos repetatur, quin de uxoris adulterio excipere possit, *l. Cum mulier 47. ff. Solutò matrim.* luculentò argumentò viri possidentis conditionem meliorem non esse, quàm pro dote agentis; quia, esto, quòd aliqui negant, viri & uxoris delicta paria sint, & dotem possideat solus vir, locus tamen Regulæ non foret; quòd dotem repetentis actio non in delicto & turpitudine, sed in honesto tantum dotis contractu fundetur. Præterquam; quòd vir ullo Juris favore dignus non sit; cum uxoris mores aut antè corruperit, aut corruptos postea probarit, ut *JCT. l. cit. observat.*

Neque etiam quarto; quòd possessor plerumque lucrum capret: & in pari causa potior sit conditio ejus, qui de damno vitando certat, *l. Quamvis 11. C. de J. C. F. 7. cum;* quia de isto non minus frequenter reos quàm actores certare, litium eventus demonstrant: tum verò; quia de damno certans plus favoris duntaxat habet; quando damnum non sentit ex sua culpa, *Salycet. in l. Cum te cit. & neuter est in possessione.*

REGVLA LXVI.

Cum non fiat per eum, ad quem pertinet, quò minus conditio impletur, haberi debet perinde, ac si impleta fuisset.

Q 99

SUMMA.

SUMMARIUM.

1. *Diversa hac est à Regula 41. jam explicata.*
2. *Ejus & similis legi Civilis sensus,*
3. *Firmatur ratione,*
4. *Et declaratur exemplis promissionis & contractus:*
5. *Institutionis heredis & legati:*
6. *Apprehensionis, possessionis,*
7. *Et collationis beneficij Ecclesiastici.*
8. *Regula ex jure objecta instantia,*
9. *Ab ea notabiles sunt exceptiones.*

1. **A**ffinis, non eadem hæc est cum Regula Imputari 41. supra explanata, cum; quia præfens hæc eos potissimum casus, quibus impletio conditionis ab eo impeditur, cujus interest, eam non impleri: Regula autem Imputari cit. eos ferè spectat, quibus conditionis eventus casu, factò alicujus tertii &c. impeditur, Dynus & Vivianus hic: tum verò; quia posteriori hæc impeditus absolvitur à culpa & pœna: priori verò, sive præfenti Regula ejus favore conditio pro impleta habetur, Strein. hic n. 1. in fine.

2. Sensus itaque istius est, *Quoties in lege, contractu, testamento, aliàve dispositione alicujus favorem spectante, apposta est conditio per eum adimplenda: Et si, cui apposta est, eorum, qua ad impletionem pertinent, nihil prætermittit, perinde haberi debet, ac si conditio fuisset impleta: Et consequi id, quod sub conditione additum est, aut relictum. Quò sensu jure quoque Imperiali receptum est, Quotiens per eum, cujus interest conditionem non impleri, fiat, quominus impleatur, perinde haberi, ac si impleta fuisset: quod responsum Ulpiani & Regula 161. est in Pandectis, Consonat huic Responsù Julia. q. 1. Jure Civili 24. ff. de Condit. & demonstr.*

præterquam quòd JCT. iste omisâ particulâ Non dicat, *Cujus interest conditionem impleri.* Quia in re, et si lis non modica inter DD. sit, ultra lectio alteri præferatur, Ant. Faber in Reg. 161. cit. nihil interesse ait, utra retineatur; quòd ad Regulâ nostrâ sensum utraque reducatur; cum una impeditum relevet, altera gravet impediendum.

Ratio Regulæ est; quòd, cum ad impossibile nemo ullâ lege, vel dispositione obligetur, Reg. Impossibile 125. ff. & Reg. Nemo b. in 6. legum conditores, aliarumque dispositionum auctores conditiones dispositionibus suis apponere non aliter videantur, quàm si eas implere possint: neque damno afficere, vel lucrum, aut favorem denegare velle iis, qui ad conditionum impletionem pertinentium nihil omiserunt, cum; ut imitarentur Dominum Deum, hominis conatum & voluntatem potius, quàm externi operis magnitudinem respicientis ac remunerantis, duòque pauperis viduæ minuta præferentis ponderi ac pretio, sacra gazæ à potentioribus illatorum: tum verò; ut occurrerent malitiis hominum, sequiorum consilio ac dolosis machinationibus quoadque ponentium obstacula ad retardandam vel excludendam impletionem conditionum.

Ita firmata Regulæ vigore ex conditionata promissione obligatus, si quò minus conditio impleteretur, ipse obstitit, perinde tenetur, ac si conditio extitisset, Reg. Jure Civili cit. §. 1. in executione 85. §. fin. ff. de V. O. & ex vendito contra emptorem venditor agit, quantumvis contractui apposta conditio impleta non sit: si, quò minus ea impleteretur, non per venditorem, sed emptorem stetit, l. Labeo 50. ff. de Contrab. emp.

Eòdem modò hæres institutus sub conditione, Si servum Titio præstiterit, si ille præ-

iste præstationem non admittat, hæreditatem de Jure adit perinde ut, si Titio præstationem admittente conditio impleta fuisset, *l. Si ita 3. ff. de Condit. instit.* & servus, cui testamentò libertas legata est sub conditione, *Si hæredi decem festeria pendat*, hærede decem oblata accipere renuente liber evadit non minus, quàm si festeria hæres acceptasset; quòd per eum non steterit, quominus conditio existeret, *l. fin. ff. de Condit. instit.* Sic etiam legatum pro sepultura Monasterio relictum ab eo, qui decessit in excommunicatione, illi debetur: licet testator sepulturam Ecclesiasticam privetur; quòd per hunc, non per Monasterium steterit, quò minus sacra sepultura sit illatus, Baldus *in l. 1. C. de Instit. & substit. q. 1. 1.* & Everardus *Legal. arg. loco a primo ad ultimum.*

6. Eiusdem Regulæ vi, si duorum de duobus Canonicatibus in eadem Ecclesia diversis temporibus à Papa provisorum is, qui provisione posterior est, priorem impediatur, quò minus Canonicatus possessionem in tempore petitam consequatur, prior nihilominus in choro & capitulo posteriorem præcedit, juxta deducta *Lib. 1. Tit. 33. n. 9.* quòd, licet in possessione, stationem in choro & sessionem in capitulo tribuentis, apprehensione præventus sit, nihilominus non per ipsum, sed per posteriorem steterit, quò minus ipse præveniret, Gonzalez *ad Reg. 8. Cancell. Glos. 47. n. 46.* & Barboia *de Canon. & Dignit. cap. 18. n. 13.* Simili modo, si Titius ab Universitate nominatus ad beneficium hanc suam nominationem apud collatorem ordinarium insinuet, ab eòq; ut intra sex menses, à notæ vacationis die computandos, id sibi conferratur petat: collator verò, id intra tempus illud non conferat, collatio pro facta habetur ab ipso die petitionis; quòd non

per ipsum, sed per ordinarium steterit, quò minus collatio intra tempus à Jure præscriptum sit facta, aded; ut nominatus vi præsentis Regulæ potior ac præferendus sit ei, cui beneficium post suam petitionem collatum est à Papa; quia iste ipsa collationis petitione præventus censetur, Rebuffus *de Pacif. possess. in fine, v. Sextò.*

Non magis tamen ista Regulam illustrant firmantque, quàm eam concutiat Primò; quòd conditio inducat formam, *l. Qui hæredi 44. & l. Mevius 55. ff. de Condit. & demonstr. & det esse rei, l. Julianus 9. §. 3. ff. Ad exhibend.* ut, si deficiat, actum nullum reddat, *c. Cum dilecta 22. de Rescript. ubi Glossa v. Irritum & Panormit. n. 6.* Secundò casus matrimonii à Berta cum Titio contracti sub conditione: quòd, si conditio non eveniat, non prævalet ei, quòd eadem Berta cum Cajo contraxit absolute: etiam si per Titium non steterit: quominus conditio eveniret: imò etiam si hoc steterit per Cajum, *arg. c. Super eo 5. de Condit. appost.* Tertio; quòd, si Titio mille legentur sub conditione, *Si restatoris filiam ducat*, & is hanc præmortuam non duxerit, legatum Titius amittat: etsi per eum non steterit, quò minus nuptiæ sequerentur, *l. Legatum 4. C. de Condit. inferi. leg.*

Sed hæc, eam limitatione quâdam temperandam, potius persuadent, quàm convellant. Primum; quia conditio formam iis solum casibus inducit, quibus constat aut rationabilis præsumptio est, disponentis voluntatem conditionis eventui sic fuisse alligatam; ut ex quacunque demum causa illa non eveniret, dispositionem valere, eaque indolentem favorem competere noluerit: non etiam casu, quò eum si eventum certo aliquò modo v.g. dolosa advertarii machinatione im-

impediri contingat, dispositionem nihilominus valere & conditionem pro impleta haberi voluisse, præsumptio est; ut hoc casu est, per *Reg. cit.*

Alterum; quia Regulae locus non est; quando rationabiliter præsumitur, conditionem promissioni vel contractui appositam eò animò; ut apponens, ejus eventum quomodocunque non secutò, noluerit obligari: sicut propter negotii totam vitam concernentis arduitatem conditio apponi præsumitur sponfalibus & ipsi matrimoniali contractui; quòd, si conditio v.g. si officium honorificum, amplam hereditatem, nobilitatem, vel Gradum literarium fueris consecutus, quando dolosò alicujus consiliò ejus eventus impeditur, pro impleta habetur, sæpe inducerentur conjugia à contractuentium intentione maximè aliena.

Postremum; quia præsentì Regulae locus potissimùm est in conditione potestativa sive ea, quæ pendet à voluntate ejus, cui apposita est: non etiam in casuali sive eà, cujus eventus à casu pendet, *l. Unica §. 7. C. de Caduc. tollend. V. Sin autem C. de Necest. servis instir.* neque regulariter in mixta, hoc est, ea conditione, quæ à factò ejus, cui apposita est, & aliunde etiam pendet, præferim si impediatur ab aliquo tertio, aut testator conditionem præcisè voluit impleri; sicut voluisse præsumitur testator alicui mille legans, si cum filia sua nuptias contraxerit, *l. Legatum cit. Henric. de Boich. in c. Sicut 22. de Spons. & matrim. n. 6. & Peckius hic in fine.*

REGULA LXVII.

Quod alicui suò non licet nomine, nec alienò licebit.

SUMMARIUM.

1. *Sensus & ratio Regulae:*
2. *Quæ in omni actu prohibito procedit:*
3. *Nisi prohibitionis ratio suo tantùm nomine agentis obstat.*

IN istius sensu reddendo variant Interpretes. Mihi perspicuus quidem ex verbis: limitatione tamen aliquà constringendus videtur; ne à communibus Juris Regulis & receptis definitionibus recedat.

Sensus ergo est, *Ea, quæ licitè non sunt nomine vel voluntate proprià, licitè etiam non sunt nomine & voluntate alienà: nisi prohibitionis ratio propriè duntaxat, non etiam alienò nomine agentis obstat.* Ratio est; quòd regulariter in omni negotio quis pro se & ad se aliquò modò pertinentibus faciliùs, quàm pro aliis admittatur, *can. Prohibetur 14. §. Hi tamen 2. q. 1. & l. Femini 14. ff. de Procurat. &* si pro se non admissus admitteretur pro alio, id quod unà vià prohibetur, alià admitteretur, contra *Reg. Cùm quid 84. infra declarandam.*

Atque huic Regulae locus est in omnibus, non solum Naturali & Divinò Jure prohibitis; ut sunt furta, rapinæ, vitiorum, Simonia, perjurium &c. sed humanò quoque vetitis; nam simplex Sacerdos neque suò neque alienò nomine ac voluntate aut vice Christum consecrere, confirmare baptizatos, conferre Ordines, Ecclesias consecrere &c. potest, *c. Quantum 4. de Consuet. & c. fin. de Consecrat. Eccles. excommunicatus, sicut suò, c. Intelleximus 7. de Judiciis & c. A nobis 2. de Except.* sic etiam alienò & procuratoriò nomine in judicio agens repellitur, *c. Post cessionem 7. de Probat. Pupillus neque pro se, neque pro alio, l. Minor §. 1. ff.*

31. ff. de Procuratorib. eodémque modo tutor contra pupillum agere non potest *Novell. 71. cap. 5.* Sic etiam, quemadmodum proprio, ita etiam alieno nomine Prætoris album corrumpere non licet, *l. Si quis id 7. ff. de Jurisdic. omn. jud.* Sic demum liberis suis testamentum facere nemo potest, nisi & sibi id facere Jure permittatur, *§. Libèris 5. Instit. de Pupill. substit.*

Locus tamen ei non est in actibus alicui prohibitis, quando eos prohibendi ratio suò duntaxat, non etiam alienò nomine agenti obstat; sic enim cum consanguinea vel affine sua matrimonium contrahere quis suò prohibetur, *c. Non debet 8. de Consang. & Affinit.* alienò sive alicujus extraneæ personæ nomine permittitur, *c. Ex parte 14. de Restitut. Spol. c. 1. de Matrim. contra interd. & c. fin. de Procurat. in 6.* quòd prohibitionis ratio sive impedimentum suo tantum nomine contrahenti obstat. Sic Episcopus, subditis non suis Ordines conferre prohibitus, ex Apostolica vel proprii ipsorum Episcopi commissione eos ordinare valet, *c. 1. de Temp. Ordinat. in 6.* Et delegati, qui suo nomine judicandi potestate carent, de causis sibi commissis cognoscunt ac pronuntiant nomine alienò delegantis, *Rubric. & text. de Offic. deleg. filiusfamilias etiam in judicio alienò, c. Qui generaliter 5. §. Necdum, de Procurat. in 6. & l. Filiusfamilias 8. pr. V. Ipse quoque ff. de Procurat.* non etiam suò nomine regulariter agit, *c. & V. fin. de Judiciis in 6. & l. Cum non solum 8. pr. C. de Bonis, que liber.* Sic, cui per alienum fundum viâ, itinere, actûque uti non licet nomine suò, id permissum est alienò sive alicujus servitutis jus in eo habentis, *l. Si stipulatus 111. ff. de V. S.* Ratio est; quia his & similibus casibus alienò nomine agenti non obstat ratio, quæ obstat agenti suò,

REGVLA LXVIII.

Potest quis per alium, quod potest facere per seipsum.

SUMMARIUM.

1. Sensus Regula exemplis declaratus.
2. Et firmatus ratione.
3. Quædam non nisi per alium:
4. Quædam per seipsum tantum expectari possunt:
5. Ut, cum persona industria electa,
6. Vel commissum est nudum ministerium:
7. Cum factum proprium rei natura, vel communis Juris,
8. Aut specialis dispositio requirit.

Spectat hæc Regula constitutionem vicariorum, delegatorum, procuratorum ac ministrorum, quorum operâ & auxiliò extra & judicialia negotia expediuntur ab iis, qui his superesse ipsi ex quacunque causa nolunt vel non possunt.

Sensus ejus est, *Qui contractum vel actum aut negotium aliud legitime, hoc est, validè licitèque facere per seipsum, id sic facere etiam per alium potest;* sic enim, sicut per se, sic etiam per alium litigare in judicio, de causis in judicium deductis cognoscere ac pronuntiare, matrimonium cum certa & determinata persona contrahere, edere Fidei Catholica vel Religionis professionem, acceptare vel resignare beneficium, præstare juramentum, dare elemosynam aliâve liberalitatem exercere, emere, vendere, locare, conducere aliquem posse, res est Juris omnino explorati & quotidianâ praxi approbati.

Ratio Regulæ est; quia non raro ho-

2999

2 mines

mineis causis ac negotiis tam multis obruntur; ut omnibus per se expediendis impares sint: aliquando infirmitate, peregrinatione, aliave necessaria absentia impediuntur, quominus illis superesse, licet maximè velint, per seipfos possint, *pr. Instit. de lra, per quos ag. permissi*, ut, si ea aliis committere per eosque expedire non permitterentur, sæpe maximum præjudicium & rerum suarum detrimentum paterentur. Unde procuratorum illisque similium hominum usus omnino necessarius, *l. 1. §. 1. ff. de Procurat.* idemque utilissimus est; cum, quod per alium quis facit, perinde accipiat, ac si faceret per se ipsum, *Reg. Quis facit 72. in 6.* adeo; ut damnum quoque dare censeatur is, qui dare iussit, ex Responso Pauli *Reg. Is damnatum 162. in Pandectis.*

3. Quin aliquando potest quis per alium, quod facere nequit per seipsum, obstante ipsi fastigio dignitatis, statu, defectu discretionis vel delicto; nam Episcopi & alii Prælati, obtinentes jurisdictionem temporalem, malefactores ad mortem condemnare per balivos ac delegatos, non per seipfos possunt; quin contrahant irregularitatem, *c. fin. Ne Clerici vel monach. in 6.* per procuratorem etiam in iudicio litigare Illustres, *l. Quicumque 25. pr. C. de Procurat.* uti & pupilli mente capti, prodigi, *c. Pastoralis 14. in fine, de Judiciis*; excommunicati quoque, cum ab aliis conveniuntur, per alios se defendere jubentur *c. Intelleximus 7. de Judiciis*, Sic licet negotiationis sive mercimonii exercitium Eques tri nobilitati probrosum in Imperio habeatur, non desunt tamen in isto nobiles, qui in diversis locis habeant proxenetas, infitros & ut vocant, Factores: per eosque magnò rerum suarum incrementò negotiantur, *Strein. hic n. 2. in fine.* Plura de hac re dabunt *Tiraquell. de Nobilit. q. 27. & Tholosan.*

Syntag. Lib. 47. cap. 10.

Verùm, si quæ alia, hæc certè Regula, perpetua non est: imò exigit complures limitationes, quibus intra veritatis cancellos retineatur; præterquam enim, quòd eum, per quem aliquid fit, idoneum hoc est, in faciente requisito Ordine, gradu aliave qualitate præditum & necessaria potestate instructum esse, necesse sit, Regula locus non est

Primò in eo, cuius personæ industria ad aliquod negotium vel causam expediendam specialiter est electa, *arg. c. 8. §. fin. de Offic. deleg.* Electa autem personæ industria intelligitur non solum, cum id d'lectè exprimitur: sed etiam, quando negotium ejus fidei, discretionis, prudentiæ rerumque experientiæ intuitu committi, aseritur aut committitur negotium valde arduum ac præjudicium, *c. Is cui 12. eadem Rubr. in 6.* inquisitio specialis in personam, provisio Ecclesiæ de Prælato aut aliis ministris, *c. fin. cit. V. Si autem, contractus matrimonii cum certa persona, c. fin. de Procurat. in 6.* uti & quando qualitas negotii talis est; ut hoc non facile ab alio valeat expediri, ut *in c. fin. cit.* notant Innocent. n. 2. Panormit. n. 6. & Laiman n. 4.

Secundò in eo, cui nudum ministerium sive mera executio sine jurisdictione, *vg. prædicatio Crucis, excommunicatio ab eave absolutio, inunctio penitentia, dispensatio super irregularitate specialiter est commissa, c. fin. cit. §. Ceterum:* exceptis tamen sedis Apostolicae legatis, qui etiam talia per alium facere ob negotiorum multitudinem permittuntur, *§. cit. Felinus in c. fin. cit. V. Si autem n. 9. & Laiman n. 5.*

Tertiò in tutoribus, & curatoribus; hi enim ex sua persona in rem pupilli vel adolescentis procuratorè dare, licet & procurator, non possunt, antequam super causa

causa lis sit contestata, l. Neque 11. § 1. Nulla 23. C. de Procurat. Canisius hic.

7. Quartò in iis, quæ exclusò factò alienò, proprium exigunt ex natura vel institutione sua vel Juris dispositione: ut est susceptio Pœnitentiæ, can. Quem pœnitet 88. dist. 1. de Pœnit. susceptio Ecclesiæ Sacramentorum (matrimonio exceptò, c. fin. de Procurat. in 6.) residencia Episcoporum, parochorum, canonicorum, c. Quia nonnulli 2. c. Cum ad hoc 10. de Cleric. non resid. & Trident. Sess. 23. cap. 1. & Sess. 24. cap. 12. de Reformat. testamenti factio sive institutio hæredis, l. Illa 32. ff. de Hæred. instit. arrogatio & adoptio, l. Post mortem 21. §. 1. ff. de Adopt. impetratio veniæ ætatis, quam adolescens non nisi coram Principe comparens legitime petit, l. Omnes 2. C. de His, qui ven. atq. inductio emphyteutæ in possessionem, à domino per se, non per alium peragenda, l. fin. C. de Jure emphyt. prolatio sententiæ, de Jure ab ipso judice recitandæ, l. Hac lege 2. C. de Sent. ex brevicul. recit. & causæ Criminales, quæ saltem, si ex iis pœna corporalis irroganda veniat, procuratorem non admittunt: sed accusatore & reo accusato personaliter præsentibus sunt pertractandæ, l. Accusatore 13. §. 1. ff. de Publ. judic. & c. Tuae 5. de Procurat. ut ad hanc Rubric. ostensum est à n. 35.

8. Quintò demum in omnibus causis, in quibus ex loci statuto vel consuetudine, ex superioris vel testatoris voluntate vel conventionione personale & proprium factum desideratur, Canisius & Strein. hic uterque in fine.

REGVLA LXIX.

In malis promissis fidem non expedit observari.

SUMMARIUM.

1. Promissa alia Mala, alia Malè concepta sunt.
2. Mala ipsò Jure invalida:
3. Malè facta ferè valida, sed rescindenda sunt:
4. Nisi eis adjectum sit juramentum.
5. Regula de malè promissis procedit.
6. Ejus sensus & ratio.
7. De promissis ob turpem causam.

Promissa mala sunt vel, quòd dere mala seu turpitudinem continente, v.g. de furto, homicidio, adulterio committendo: vel, quòd malè sint concepta, v.g. extorta vi, obtenta dolo, aut Juris forma in iis non sit observata, Vivianus & Strein. hic pr.

Priori modo Mala sive de re Mala & turpi concepta promissa ad sui observantiam non obligare, res utroque Jure explorata est; nam, ut prorsus Christianè Papinianus ait, *Quæ facta ledunt pietatem, existimationem, verecundiã nostram, & contra bonos mores sunt, nec facere nos posse credendum est, l. Filius 15. ff. de Condit. instit.* Non minùs solide & eleganter Isidorus, *In malis promissis*, inquit, *rescindere fidem: in turpi voto muta decretum: quod incautè vovisti, ne facias; impia enim est promissio, quæ scelere adimpletur, can. In malis 12. q. 2. usque adeo; ut servandum etiam non sit juramentum, quod ei firmandæ est adjectum, per Reg. 58. hic Lib. 2. tit. 24. à n. 42. latè explicatam.* Ratio est, cum; quia juramentum, ut esset vinculum iniquitatis, institutum non est, *Inter cetera 22. q. 4. & c. Quando 18. de Jurejurando: tum verò; quia, quod justè & honestè fieri non potest, homini possibile non censetur, can. Faciat 22. q. 2. ubi Glossa, Solum illud, inquit, dicimur posse, quod justè facere possumus impossi-*

impossibile autem obligatio nulla est, *Reg. 185. ff. & Reg. Nemo 6. hic.*

3. Posteriori modo malis, seu male promissis, non iis duntaxat, quæ ex defectu formæ aut juris, voluntatem ad valide promittendum inhabilem reddentis, dispositione irrita sunt ipsò Jure: sed illis etiam, quæ merò Jure subsistunt, datam fidem servari, licet absolute valeat, non expedit tamen vigore Regulæ præsentis: sed convenit ea rescindi & datam fidem observantiam poscentis, actionem, si quæ competit, exceptionis ope excludi. Ratio est; quia promissa præstari nec expedit promittentibus; quòd, si ea præstent, ex aliena fraude rerum suarum patiantur jacturam; nec promissariis; quòd ex male promissis sperata lucra salva conscientia nequeant capere vel retinere; nec Reipublicæ; quòd publicè interfit, sceleratorum non indulgeri malitiis, nec crescere audaciam hominũ, qui ex alienis injuriis, violentis ac dolosis passionibus lucrum captare non verentur.

4. Quod si hujusmodi malis seu male promissis de re non mala, seu turpitudine ex parte promittentis non continente, factis adjiciatur juramentum, hoc servandum omnino est, *arg. c. Debitores 6. de Jurejurando*: nisi ejus relaxatio fuerit impetrata, *arg. c. 1. eadem Rubric.* Rationis locò est famigerata Regula, *Omne juramentum servandum est, quod non vergit in dispendium salutis aeternæ & in prejudicium veritatis non redundat*, quæ ab Innocentio III. *c. Cum contingat 28. de Jurejurando* & à Bonifacio VIII. *c. Quamvis 2. de Pactis in 6.* tradita est & *Lib. 1. tit. 24. à n. 59.* explicata.

7. Utrò ex duobus modo sumpra mala promissa præsens Regula spectet, dissensio est inter Interpretes. Mihi, licet ad præcisa trahi congrua interpretatione facile possit, à laudato tamen Papa Bonifacio

accommodata videtur promissis malis posteriori modo sumptis; ut

6. *Sensus ejus sit, Promissis malis, hoc est, vi, dolo, aliòve modo peccaminosò obventis, expedit datam fidem non servari: sed promissionem exceptione aliòve modo rescindi*: qui sensus est ad mentem Dyni *hic n. 3.* Barbofæ *n. 3.* & Strein. *n. 2.* Ratio, cur id expediat, est; quòd, ut jam dictum, ea non servari, sed rescindi non solius promissarii, sed promittentis quoque & Reipublicæ interfit.

Ratio autem, Regulam de promissis posteriori sensu malis exaudiendi, est partim; quòd, si ad promissa priori sensu mala referatur, tota jam contineatur sub Regula *Non est 58. cit.* cum enim ipsum juramentum hoc sensu malis promissis adjectum servandum non sit, servanda utique non est rei malæ ac turpis promissio simplex: partim verò; quia promissis malis datam fidem non servari, Papa ait, *Expedit*: non, eam non, servari, esse necesse, *sive servari non posse*. Cum ergò priori modo promissis malis datam fidem non servari, necesse sit; quòd servari sine peccato non possit, præsens Regula pertinebit ad promissa mala sensu posteriori; quia hæc, licet Jure subsistant, & servari à promittente possint, expedit tamen sive melius est, ea rescissa non servari, juxta illud, *Palam est, se Jure civili obligatum, non expedit tamen Reipublica fidem datam observari, pr. Institut. de Except. & pr. sententiæ relata ex Isidoro, In malis promissis rescinde fidem, can. In malis cit.* hæc enim verba ad mala promissa Jure valida, sed obnoxia rescissioni: posteriora verò ad mala promissa rei turpis Jurèque invalida & rescissionem propriè non admittentia, referenda, *cit. Barbofæ n. 1.* rectè observat.

7. Neque cum his pugnat; quòd pro sententia injusta judici, & meretrici pro sui cor-

libi corporis prostitutione facta promissio observanda sit: quantumvis, sit rei turpis & inhonestæ. *l. Ubi autem 3. ff. & l. Cum re 2. C. de Condiç. ob turp. causam;* quia, licet hujusmodi promissiones ad turpe factum, cujus causâ sunt, non obligent, *can. In malis cit. in fine & l. filius cit.* & post actûs etiam turpis executionem non pariant actionem, *l. Mercedem 5. C. eadem Rubr. in conscientia tamen hoc casu obligant ad præstationem rei promissæ; cum sine dantis ac recipientis peccato valeant observari, S. Thomas 2. 2. q. 32. art. 6. in C. & Haunold, Tom. 1. de J. & J. tract. 2. n. 359.*

REGVLA LXX.

In Alternativa debitoris est electio, & sufficit alterum præstari.

SUMMARIUM.

1. Alternativa Copulativa opponitur;
2. Sûntque Personarum, Rerum, Locorum vel Temporum;
3. Ordinata Affectionis, Remediorum, Summarum vel Penarum;
4. Aliquando Simplicia, aliquando Mixta.
5. Sensus Regula.
6. Ratio, cur in Alternativa præstandum tantum unum,
7. Eiusque electio permisa sit debitori,
8. Eadem competit istius hæredi,
9. Et alternativè debitorum unius interitu non perit.
10. Casus, quibus unum præstari non sufficit.
11. Electio debitori non semper competit in beneficiis,
12. Et legatis alternativè relicta;
13. In alternativa Remediorum,

14. Et Penarum delictis impositarum;
15. In alternativa Locorum,
16. Et Personarum, inter quas est ordo affectionis;
17. In alternativa Quantitatum & Temporum,

Alternativa dicuntur, quæ efferruntur cum disjunctione, interjectâ dictione *Vel, Aut* aliæ similis significationis: & opponuntur copulativis, quæ exprimi & efferrî solent dictione *Et, Atque,* aut simili alia. In dubio, quæ sine ejusmodi dictione efferruntur, an pro alternativis seu disjunctivè, vel copulativè potius accipienda sint, pendet ex mente disponentis: quâ attentâ conjuncta aliquando pro disjunctis, & disjuncta pro conjunctis exaudienda, Paulus JCT.⁹ monet *l. Sape 53. pr. ff. de V. S.* Cùm autem de disponentis mente non constat, sine dictione, conjunctionem vel disjunctionem denotante, prolata pro disjunctis, sive alternativè accipiuntur; quòd, ubi verba conjuncta non sunt, alterutrum factum esse sufficiat, *l. In eo 110. §. 3. ff. de R. J.*

Porro Alternativorum genera varia sunt, & communiter à DD. quatuor statuuntur, ad eaque cætera reducuntur. Aliqua enim sunt Personarum, ut cum Titio vel Cajo, *l. Cùm quidam 4. pr. C. de Verb. & Res. signif.* Quædam Rerum, ut cùm Bucephalus vel Pegasus, fundus Cornelianus vel Sempronianus, *l. cit. V. Sin autem & l. Cùm res 47 §. 3. ff. de Legat. 1.* Alia Locorum, ut cùm Viennæ vel Augustæ, *l. Non utique 3. pr. V. Proinde, ff. de Eo, quod certò locò.* Alia demum Temporum dicuntur, ut cùm res Calendis Januariis vel Februariis præstanda est, *l. Si ita 109. ff. de V. O.*

Præter hæc quædam Alternativa dicuntur Ordinis sive ordinatæ affectionis, ut cùm

R r r

ut cùm

ut eum instituitur filius vel ex eo nepos, filius aut filia major, *l. Cum pater 77. §. 32. ff. de Legat. 2. §. l. Heredes 57. ff. ad S. C. Trebell.* Quædam Remediorum, ut, cum alicui duo remedia judicialia ejusdem rei nomine competunt, *l. Rescriptum 10. §. 1. ff. de Pactis.* Alia Summarum five quantitatum, *l. Si ita 43. §. fin. ff. de Legat. 2. §. l. Si ita 12. ff. de V. O.* Alia poenarum; quod eidem delicto plures poenæ Jure impostæ sint, *l. Si fugitivus 3. C. de Servis fugit.*

4. Demum relatæ Alternativæ simplices aliquando miscentur, seu duæ vel plures junguntur: sicut fit, cum rerum & locorum, rerum & temporum Alternativæ concurrunt, ut *V. Proinde cit.* Caldas Pereyra de Nominat. Emphyt. q. 10. d. n. 51. & Barbosa *bic n. 3.* His præmissis

5. Præsentis ac bipartitæ utriusque tritisimæ Regulæ sensus est, *In dispositionibus Alternativis sufficit, si unum: itaque arbitrio debitoris eligendum fiat, aut præstetur.*

6. Prior pars desumitur ex *c. Inter cæteras 4. de Rescript. l. Si heredi 15. ff. de Condit. instit. l. Si quis ita 129. V. At si sic ff. de V. O. l. In eo §. 3. cit.* Ratio ejus est; quod unò præstito alternativa seu disjunctiva propositio jam sit verificata; ac proinde dispositioni satisfactum, *l. Si unus 27. §. 6. ff. de Pactis §. l. Cum pupillus 78. §. 1. ff. de Condit. §. demonstr.* cum in hoc differat à copulativa, ad sui verificationem exigente concursum copulati utriusque, §. Si plures 11. Instit. de Hæred. instit. §. l. Si à reo 70. ff. de Fideiuss. §. Mandat. Decius in *l. In eo §. 3. cit. n. 1. §. 2. & Vivianus bic.*

7. Posterior pars discretè traditur *l. Plerumque 10. ff. de Jure dot.* cujus §. fin. Ulpianus ait, *Nam & cum illa aut illa res promittitur, rei electio est, utram præstet: cui consonant l. Si ita 25. pr. l. Si in emptione 34. §. 6. ff. de Contrab. empt. §. Si*

plures cit. §. Si quis agens 33. V. Hinc autem, Instit. de Actionibus. Ratio est; quia alternativa in dispositione inclusa ex disponentis mente spectat favorem debitoris ad præstandum obligati, sed relevati commodo electionis; ut præstare valeat id, quod ex alternativè debitis vult, & in dubio ad minus obligetur, *arg. l. Semper 9. ff. §. c. In obscuris 30. de R. J. in 6. Dynus bic n. 7. & Vivianus l. cit.* qui tamen præsentem Regulam exaudit de Alternativa dandi seu præstandi, sive, cum verba diriguntur ad debitorem, ut aliquid det vel præstet: in Alternativa autem accipiendi, cum verba diriguntur ad creditorem, ut ex duobus unum accipiat, electionem huic adstruit, non debitori, *arg. l. Si ita 25. ff. de Contrab. empt.*

Quare Alternativorum ea conditio est; ut debitori potestatem faciat, ex iis unum duntaxat & quod libet, eligendi dandique aut præstandi, tam in ultimis voluntatibus quam in contractibus & aliis dispositionibus. Quod si electione necdum facta decedat, eligendi facultas non perimitur, sed ad hæredem transit, *l. Si ita 79. pr. ff. de V. O.* quia pertinet ad commodum & utilitatem realem debitoris, & accessoria est ad ejus obligationem: quæ obligatio cum transeat ad hæredem, ad hunc etiam ei accessoria electionis facultas, & ex ista proveniens eique accessoria commoditas transmittetur, Gomez Tom. 2. Var. cap. 11. n. 41. & Barbosa *bic n. 5.*

Eadem optio sive electio sic competit; ut, si debitor ejusve hæres alternativè debitorum utrumque per errorem præstiterit, repetere, quod voluerit, valeat, *l. Si quis servum 10. C. de Condit. indeb.* quia conditio ista est quædam reductio sive restitutio in pristinum sive eum statum, in quo fuit ante præstationem; ut proinde, sicut ante, sic etiam post factam præstationem electio adjuvanda sit de-

fit debitori, Bald. & Salycet, in l. cit. & Duarenus Tit. de Condit. in debiti cap. 9.

Neque hæc eligendi facultas cessat, quando duorum alternativè debitorum unum interit, seu est destructum; cum in debitoris arbitrio maneat, vel id, quod extat, vel non extantis sed perempti æstimationem præstare, l. Cum res 47. §. 3. ff. de Legat. 1. dummodo ita debitorum utrumque in obligatione fuerit principaliter ac per se & neutrum ab altero principaliter dependens, cit. Gomez n. 40. & Barbosa n. 8.

Quin eligendi facultas etiam non cessat unius electione jam facta; cum, si debitorem poeniteat, variare, quoties libuerit, ei liceat in eo, quod est præstiturus, l. Qui ex pluribus 106. in fine Et. Cum qui 138. §. 1. ff. de V. O. Hoc tamen DD. sic accipiunt, ut variatio debitori permisa sit, quando electio tacitè inest, sive ei competit ex dispositione Juris; non etiam, quando ei competit ex partium conventionem per verbum, Voluerit, expressa, quod cit. Barbosa pluribus declarat n. 12.

10 Non pauca tamen ab hac Regula occurrunt exceptiones; quia, unum duntaxat præstari, non sufficit. Imprimis in Alternativis Personarum, vg. haeres meus esto Titius vel Cajus, isti aut illi dono lego, Sempronium vel Mævium do tutores; his enim casibus alternativorum utrumque concurrat; quod particula disjunctivæ Vel, Aut pro Et, itaque sumantur; ut oratio Alternativa in copulativam resolvatur, l. Cum quidam 4. V. Melius C. de V. S. quâ ratione rigor Juris sic temperatus est; ut commodò testatoris nemo defraudetur, & pupillis melius provideatur. Quod utique æquius est, quàm dispositione propter incertitudinem viciata utrumque, aut etiam unum omnino excludi, & vel omnino non aut minus bene provideri pupillis, Jason in l. cit. n. 2. &

Barbosa n. 30. Deinde, quando Alternativa concipitur per particulam Seu; hæc enim sapius copulandi & augendi, quàm disjungendi vim habet, l. Si quis ita 32. V. Hoc enim, ff. de Auro & Arg. legat. quod in rebus favorabilibus, ut in legatis, beneficiis & aliis, quæ amplam interpretationem recipiunt, vim potissimam habere, in c. Inter ceteras cit. notant Panormit. n. 4. & Ripa n. 44. Præterea, cum Alternativa ponitur inter genus & speciem, totum & partem; quia in his oratio disjunctiva copulativè accipitur, ut l. Si quis 41. ibi, Pañia vel transactiones & l. Sepe 53. pr. ibi, Et cum dicimus dedi aut donavi ff. de V. S. Bartol. in l. 1. ff. de Reb. dub. & cit. Barbosa n. 32. Demum alternativorum unum præstare non sufficit, quoties propositionem verborum figura disjunctivam copulativè accipiendam intentione seu scopus disponentis, iniquitas, vel alterius commodi vitandi necessitas aut ratio suadet, arg. l. Lucius 85. ff. de Hæred. instit. l. Generaliter 6. pr. C. de Instit. cit. Barbosa n. 4.

Sicut in Alternativis non semper u. II. num præstari sufficit, sic etiam electio debitori non semper, & Primò quidem non competit in Gratis seu beneficiis, à Principe concessis Alternativè; cum eorum unius electionem recipienti potius quàm concedenti, ac proinde creditori potius quàm debitori passim adstruant & ex l. Si quis 2. C. de Castrens. & ministr. defumant DD. Ratio est; quod Principum beneficia in favorem recipientis plenissimam admittant interpretationem, l. Beneficium 3. ff. de Constit. Princip. & c. Cum dilecti 6. in fine de Donat. Neque id solum, si gratia motu proprio; sed etiam, si ad instantiam facta sit, saltem extra materiam beneficalem; in hac enim gratiæ ad instantiam emanantes tanquam ambitiosæ strictam expolcunt interpretationem.

R e r r a

tationem.

tionem c. *Quamvis* 4. pr. c. *Si à pluribus* 24. de *Prob. & dignit. in 6.* Felinus in c. *Inter ceteras cit. n. 4. fall. 4. & cit. Barbofa num. 17.*

12. Secundò in legatis, in quibus leges, sicut sæpe hæredi, sic non rarò legatario, ac proinde creditori electionem adstruunt. In hoc tamen Jurium conflictu communis DD. sententia oculos intentos habere jubet in voluntatem testatoris, quæ defumenda est ex ejus verborum directione; ut, si verba legati seu voluntatis ultimæ executionem respicientia directa sint ad hæredem, vg. hæres Titio centum vel servum, fundum Sempronianum vel Cornelianum dato &c. electio competat hæredi, qui legati debitor est, l. *Si ita relictum* 43. in fine ff. de *Legat. 2. l. Titio* 21. ff. de *Usufructu leg. l. Si quando* 109. §. 1. ff. de *Legat. 1.* Si autem verba executionem denotantia referantur ad legatarium, vg. Titius centum vel servum accipiat, Pegafum vel Bucephalum, duorum fundorum alterum habeat, electio sit legatarii, licet creditor sit, l. *Planè* 34. §. 14. ff. de *Legat. 1. & l. Si à Titio* 10. ff. de *Usufr. leg.* Ratio utriusque est; quòd testator eum, ad quem verba dirigit, prædilexisse & animi affectionem erga eum singularem ostendisse; ac proinde optandi facultatem ei contulisse videatur.

In dubio sive eò casu, quòd verba prolata simpliciter, & neque ad unum, neque ad alterum directa sunt, benigna interpretatione electionem legatario DD. ferè adstruunt; quòd defunctorum voluntates latam recipiant interpretationem, l. *In testamentis* 12. ff. de *R. J. Dynus hinc* n. 4. Canisius §. *Hic obstare & cit. Barbofa n. 15.*

13. Tertio optionem debitor non habet in alternativis remedium sive actionum judicialium; cum, quæ experiri velit, electio competat creditori sive ei, cui

competat, l. *Rescriptum* 10. §. 1. ff. de *Pactis & l. Servum* 108. §. 2. ff. de *Legat. 1.* quòd, si electio debitori sive reo permitteretur, in manu ipsius esset jus & intentionem actoris perpetuò eludere, Franc. *hic n. 1. cit. Gomez n. 42. & Barbofa num. 18.*

14. Quarto in alternativa poenarum delictis Jure impositarum; cum istarum electio non ad delinquentem pertineat, sed ad judicem, c. §. *fin. V. Sin autem, Ut lite non contest.* §. 1. c. de *His, qui larcon*, qui tanquam legis minister poenam delicto commensuratam imponere & ex pluribus Jure proditis ei magis convenientem eligere debet, Franc. *hic n. 1. & Felinus l. cit. n. 5.* Nisi verba legis poenas alternativè irrogantis non ad judicem, sed ad reum dirigerentur vg. *Pendat mille aut urbe excedat*; hoc enim casu electio est delinquentis, qui electurus præsumitur minorem & satisfactorus legi, cum duæ alternativè proponuntur, propensæ in minorem seu mitiorem, l. *Sæ Præses* 32. in fine c. l. *Interpretatione* 44. ff. de *Panis Clarus §. fin. q. 85. n. 6. Menoch. de Arbitr. q. 94. à n. 1. & cit. Barbofa n. 21.*

15. Quintò in Alternativa locum, vg. cum quis promisit solutionem Viennæ vel Augustæ; quantumvis enim in his quoque ante creditoris petitionem, utrò solvat, optio debitori permittatur, l. *Non utique* 3. pr. v. *Et generaliter ff. de Eo, quod certo loco*, iis tamen casibus, quibus debitor non prævenit, ea creditori adstruitur, pr. cit. v. *Quare & l. Arbitraria* 2. §. *fin. ff. eadem Rubr.* Neque hoc solum, si simplex, sed etiam, si mixta, hoc est locorum simul & rerum sit alternativa, vg. si Viennæ equus vel Augustæ centum sint promissa, §. *fin. cit. & pr. cit. v. Proinde*; ut adeo in consequentiam electioni locorum ipsa quoque rerum electio creditori concedatur.

cedatur, quò facilis debiti solutionem consequatur, & minus obnoxius sit illiioni debitoris: in cujus manu si electio etiam ipsum debitum foret; quòd alium aliòque locum semper eligere & creditorem eludere posset, Bartol. in l. Non utique & pr. cit. n. 7. Salycet. n. 1. & 2. Cit. Barbosa n. 23.

16. Sextò in Alternativis personarum, inter quas est prerogativa ordinis & affectionis; in his enim observandus ordo literæ sive, quò illæ in instrumento sunt expressæ; ut ejus ordine prior posteriori præferatur, l. Cum pater 77. §. 32. ff. de Legat. 2. & l. Hæredes 57. §. fin. ff. ad S. C. Trebell. Unde, si in substitutionibus, in majoratu vel emphyteusi asseratur, succedat filius aut nepos, filius aut filia major, filius nepoti & licet ætate minor sit, filia præferatur, cit. Felinus n. 4. & Gomez n. 62.

Neque in hujusmodi alternativis particulas disjunctivas *Vel, Aut* vim habere copulativarum *Et Atque*, & propositionem alternativam in copulativam resolvit, rectè desumitur ex l. Cum quidam 4. V. Melius C. de Verb. signif. quia Justiniana hæc Constitutio procedit de alternativa personarum honoratarum, inter quas non est ordo affectionis; cum in his literæ ordinem attendendum planum sit, ex U. antè cit. & communi sensu DD. apud cit. Barbosa n. 36.

17. Septimò, in Alternativis quantitarum & temporum, v. g. cum quindena vel dena, Calendis Januariis vel Martiis, post annum vel post biennium promissa sunt; in his enim, quod unum duntaxat & minus, scilicet dena Calendis Martiis post biennium, præstanda in obligatione esse censeantur. l. Si ita reliquū 43. §. fin. ff. de Legat. 2. & l. Si ita 12 ff. de V. O. Alternativa effectum suum operari & electio fieri propriè non potest, cit. Barbosa n. 25.

REGULA LXXI.

Qui ad agendum admittitur,
est ad excipiendum multò magis
admittendus.

SUMMARIUM.

1. Sensus Regule exemplis declaratur,
2. Et firmatur ratione.
3. Locus Regule non est in depositario,
4. In spoliatore,
5. In jurato promissore usurarum,
6. Et adversus Prælatum confirmatum mittendum in possessionem, &c.

EAdem prodita est Jure Civili, cujus Regula 156. §. 1. & Ulpiani sententia est, Cui damus actionem, eidem & exceptionem competere, multò magis quis dixerit.

Sensus utriusque est, Cui pro aliqua adipiscenda Jure competit actio, eidem & multò magis competit exceptio, quàm alterius, pro re illa agentis, actionem excludat; sic enim, cui datur rei Vindicatio adversus possessorem, eidem si rem possideat, exceptio domini datur, aliò rem vindicante, l. 1. §. 4. ff. de Superficiebus. Sic is, qui prædium legitime præscripsit, sicut ejus possessione à pristino domino dejectus Unde vi Interdicto sive recuperandæ possessorio agit, sic adversus eundem illud repetentem præscriptionis exceptione se tuetur, can. Placuit 16. q. 3. & l. Si quis 8. C. de Præscript. 30. vel 40. annor. Is etiam, qui prædium alienum ad longum tempus conduxit, sicut utilem rei vindicationem habet adversus possessorem etiam dominum, sic adversus eundem defenditur exceptione, l. 1. cit. §. 3. Simili modò filius iniquè exheredatus, sicut inofficiosi testamenti

R r r r ; stament i

flamenti habet querelam, sic etiam multo magis inofficiosi exceptione summo-
vet heredem scriptum, l. Papinianus
§. §. 13. ff. de Testam. inoffic. Demum,
ut omittam alia, quemadmodum, uxore
adulterio polluta, agere ad divortium vir,
c. Ex literis §. sic eandem post noto-
torium adulterium ad se redeuntem ejus
criminis exceptione repellit, c. Significā-
si 4. de Divortis.

2. Ratio horum & Regula est partim;
quod agere sit actoris impugnantis, ex-
cipere verò rei impugnantis actionem ex-
cludendo, te tuentis: Favorabiliores au-
tem sint rei, quam actores, l. 125. ff. de
R. J. & Jura priora ad absolvendum
quam condemnandum, ad liberandum
quam constringendum, l. Arrianus 47.
ff. de O. S. A. partim verò; quod agere
plus sit, quam excipere; ideoque non
rarò, cui denegatur actio, exceptio con-
cedatur, c. Cum inter §. de Except. quòd
ista majori æquitate nitatur, l. Qui æ-
quitate 12. ff. de Doli except. ei autem,
cui licet, quod est plus, liceat etiam, quod
est minus, Reg. Non debet 22. ff. & Reg.
Cui licet 53. supra declarata.

3. Quantumvis autem Regula hac ra-
tione & æquitate fulciatur, vim tamen
modicam habet, quando actio & excep-
tio tendunt ad diversa, vel exceptionem
denegari potest ratio specialis. Ex harum
certè causarum altera

Primò depositarius, licet actionem
habeat adversus deponentem debitorem
suum, compensationis tamen aliave simi-
li exceptione neququam defenditur ad-
versus illum, depositum repetentem,
c. fin. V. Sanè de Deposito, cum; quòd
actio & exceptio non ad idem tendant:
tum verò propter bonam fidem in depo-
siti contractu exuberantem, §. cit. & l.
Si quis 1 §. C. Depositi

4. Secundò, spoliato, rei possessione vi

dejecto & restitutionem petenti, non ob-
stat exceptio domini; licet facta resti-
tutione valeat conveniri, c. 1. §. c. In
literis §. de Restit. spoliat. quia, sicut alia,
sic & domini, saltem non notorii excep-
tio non admittitur ratione singulari,
scilicet odio spoliatoris, & violentiæ,
contemptò judicis officio & Juris ordine
illata, ut ad Rubric. cit. dictum est n. 4.

Tertiò, simili modo conductor a-
gri, de cuius proprietate litigare vult,
prius locatori possessionem restituere debet,
quàm de proprietate incipiat litigare;
ac proinde actionem habet: licet non
habeat exceptionem, l. Si quis conducti-
onem 2 §. C. de Locato ex speciali ratione;
quòd conductor, locatori possessionem re-
stituere detrectans, eum quodammodo
spoliare videatur, l. Colonus 12. ff. de V.
armata; ac proinde saltem, quando rei
dominium notorium non est, spoliatoris
Jure censetur.

Quartò, sic etiam, qui ad solutio-
nem usurarum juramentò se adstrinxit,
ad earum solutionem ullà exceptione non
admissa compellendus est: licet eas tan-
quam indebitè solutas actione proposità
valeat repetere, c. Debitores 6. de Jure-
jurando, ex singulari ratione & virtute
Religionis; ne nomen Domini in vanum
invocatum sit, exposcentis observantiam
juramenti cujuscunque, quod sine dispen-
dio salutis æternæ & tertii præjudicio
servari potest, c. Cum contingat 2 §. de
Jurejurando & c. Quamvis 2. de Pallio
in 6.

Quintò, ut alia præmittam, §.
contra Prælatum, electionis suæ confir-
matione jam impetratà, mittendum
in possessionem locus non est exceptionis:
licet ejus in possessionem jam missi ac-
cusatio vel denuntiatio sit permilla, c.
Constitutis 46. de Appell. & c. Indemnita-
tibus 43. §. Caserum de Elect. in 6. cum
propter

propter violentam presumptionem exceptionis malitiosè oppositæ primùm post confirmationem : tum verò, & vel maximè favore Ecclesiæ vel Monasterii, quibus diuturna Prælati carentia damnosa & animabus periculosa esse solet, *c. Ne pro defectu 41. de Elect.*

REGULA LXXII.

Qui facit per alium, est perinde, ac si faciat per seipsum.

SUMMARIUM.

1. Differentia inter hanc & Reg. 68. explicatam.
2. Ejus sensus & ratio.
3. Procedit in actibus extrajudicialibus,
4. Et judicialibus,
5. Et in ipsis etiam delictis:
6. Saltem, si actus vicarium admittat.
7. Variæ instantiæ Regula objectæ,
8. Eam declarant potius, quàm convelant.

1. **A**ffinis hæc, non eadem, est cum Regula *Potesť quis 68.* jam explicata; cum ista alium sibi subrogandi, per eumque negotia expediendi facultas: præsentem verò Regulam subrogationis, sive per alium gestorum efficacia, visque explicetur.

2. Sensus itaque præsentis est, *Quod quis per delegatum, procuratorem aliumve sibi subrogatum facit, eandem vim & effectum habet, ac si id faceret per seipsum.* Ratio aperta est; quia effectus ex mandato secuti causa principalis est ipse mandans; cum, si istius mandatum abfuisset, nihil actum fuisset. Neque mandantem relevat aut contra eum facit; quòd effe-

ctus non tribuatut causæ remotæ, ut ipse est: sed propinquiori & præsertim proximæ, ut mandatarius est, *l. Huic scripturæ 15. §. 1. ff. ad L. Aquil.* qui hoc locum non habet, quando causa remota est initialis ejusque solius contemplatione & autoritate ad operandum proxima inducitur ac movetur, *arg. l. Hac actio 4. ff. Si mens. fals. mod. dix. Tiraquell de Causa cessante limit. 20. & Tuschus Prælic. V. Causa conclus. 145. num. 6.*

Atque sic acceptæ Regulæ in omni materia & utroque Jure obvia sunt exempla; nam per alios nobis aramus, serimusque, & aliena falce manūque merrimus, horreæque & granaria implemus. Sic, qui solutionem mandavit, ipse solvit, *l. Cum jussu 64. ff. de Solut.* qui debitorem suum pecuniam Titio dare iussit, ipse dedisse, & hunc sibi obligasse, *l. Singularia 15. ff. de Reb. cred. &* qui sponsalium vel matrimonialem contractum cum certa muliere ineundum alicui commisit, illum aut hunc ipse celebrasse videtur, *c. fin. de Procurat. in 6.*

In iudicium etiam deduci causæ, præstari calumniæ juramentum, fieri confessio, instrumenta edi per procuratores: & per delegatos ferri sententiæ solent, perindeque habentur, ut quæ in eo acta à mandante, *c. 1. de Confess. in 6. Clement. 1. de Jurejurando & l. Eum qui 3. C. de Procurat. &* sententiæ latæ sunt ab ipso delegante, *l. Etsi 3. ff. de Offic. ejus, cui mandat.*

Delicta quoque mandato perpetrata mandanti imputantur; cum *Unde vi Interdicto & is*, qui mandavit vel iussit, ut aliquis deiceretur, *l. 1. §. 12. ff. de Vi armata*, & injuriarum actione conveniatur, qui contumeliam intulit & curavit inferri, *l. Non solum 11. pr. ff. de Injuriis*: cujusque mandato quis occiditur vel

ditur vel mutilatur, aut violentæ manus iniiciuntur in clericum, irregularitatem contrahat vel Canonis excommunicationem, c. *fin. de Homicid. in 6. & Mulieres 6. §. fin. de Sent. Excom.* Sic legibus Cornelia de Sicariis, qui hominem, & Pompeja de Parricidis tenentur, qui parentem aut liberos alienæ manûs ministeriõ interfecerunt, l. *Non ideo 5. C. de Accusat. & l. Utrum 11. ff. ad L. Pomp. de Parricid.* & qui calumniatorem submiserunt, incidunt in poenas S. C. Turpiliani, l. 1. §. 13. ff. *ad S. C. cit.*

6. Porro; ut facta per alium perinde, ut à nobis facta, reputentur, illum ad negotium gerendum idoneum, & hoc ejus rationis esse oportet, ut vicarium admittat, ut ad *Reg. Potest quis cit. est dictum.*

7. His etiam concurrentibus Regulam accipitem non una consideratio reddit; Et primò quidem; quòd, si factum per alium perinde ut nostrum habeatur, iniqua sæpe sit conditio per alium facientis; cum per alium negotia sæpe minus provide & utiliter, quàm per nos ipsos gerantur. Secundò; quòd factum à legato Papæ Misso non perinde, ut ab ipso Papa factum, habeatur, *Glossa, in c. Super literis 20. de Rescript.* Tertiò; quòd, si obstetrix dederit medicamentum, ex quo mulier perit, si id suis manibus supposuit, occidisse; si verò id dedit per alium, magis causam mortis præstitisse, quàm occidisse videatur, ex sententia Labeonis, l. *Item, si obstetrix 9. pr. ff. ad L. Aquil.* Quartò ex ejusdem ICT. responso si Titius Cajo mandet; ut fieri jubeat opus; & Cajo hoc fieri jusserit, non Cajo, qui id fieri jussit, sed Titius est conveniendus, l. *Aut qui aliter 5. §. 22. V. fin. ff. Quod vi aut clam non obsecuro* argumentò Cajum, qui opus fieri jussit, non perinde haberi, ac si ipse fe-

cisset. Quintò; quòd, si delictum mandans perinde habeatur, ac si id ipse perpetrasset, unum, idemque esset delictum mandatarii & mandantis, contra rescriptum Imperatoris, mandantem, & mandatarium quoque ex sua persona teneri, asserentis l. *Non ideo 5. cit.*

Sed ista non magnam vim ad Regulam infringendam habent, Primùm, cum; quia per alium quid faciens sibi imputare debet; quòd id minus idoneo providòque commiserit, l. *Sed etsi 7. §. fin. 4. ff. de Instit. ad.* tum verò; quia, si is, qui jussu nostro facit, mandati fines excedat, non tam nobis, quàm sibi nocet, l. *Et procurator 10. C. de Procurat.* cum, qui illos excedit, aliud videatur facere, quàm ei est mandatum, l. *Diligenter 5. pr. ff. Mandati;* nisi mandatum esset delictum; cum enim vulnus etiam minimum lethale esse possit; & in ejus, qui enle, sclopò aliòve instrumentò ad necem inferendam comparatò fecit, potestate non sit, an ex inflicto vulnere mors secutura sit vel non, mors ex inflicto vulnere secuta, sicut mandatario, sic etiam mandanti imputatur perinde, ac si vulnus ipse inflixisset, c. *fin. de Homicid. in 6. ubi Glossa V. Culpæ, Anchoran. not. 3. & Franc. n. 3. in fine.*

Secundùm; quia à legato Papæ perinde, ut à Papa gelta solummodo habentur in causis ac negotiis ipsi specialiter commissis: non etiam in iis, quæ gerit ex generali officio legationis; cum enim talia vi suæ jurisdictionis ordinariæ pertractet, ea facit jure & nomine proprio, non alieno, l. *More 5. junctâ Glossâ V. Jure suo. ff. de Jurisdic.*

Tertiùm; quia illa Labeonis, vel potius judicis labentis, sententia, si sanæ interpretationis ope in sensum à verborum sono diversum non trahatur, aperte pugnat cum altera Ulpiani, nihil inter-

esse ajen-

esse agentis, occidat quis, an causam mortis praebeat. *l. Nihil 15. ff. ad L. Cornel. de Siccariis*. tum verò; quia inter eum, qui pharmacò per se, & eum, qui illò per alium oblatò occidit, physicum duntaxat, non morale discrimen intercedit; cùm, si necandi animò obstrietrix pharmacum per se vel per alium obtulit, homicidii crimine teneatur: & ab isto excusetur, quando medendi intentione & mortis periculò non praevisò illud sive per se sive per alium obtulit; quia maleficia voluntate & animi proposito distinguuntur. *l. Qui iniuria 53. pr. ff. de Iniuriis & l. Divus 14. ff. ad L. Cornel. cit.*

Quartum; quia in casu *V. fin. cit.* opus per alium non fecit Cajus, sed Titius duntaxat voce ac ministerio Caij, opus mandatario solum denuntiantis, non suo nomine id mandantis; ut proinde ratione mandati operis Titius potius, quam Cajus sit conveniendus. Angelus in *V. fin.* Aliud esset, si Titius Cajo mandasset jubere maleficium; quia ad hoc scienter concurrentium nemo excusatur, *san. Omnes, 17. q. 4. & c. Sicut 6. §. Qui verò de Homicid. Navarrus Manual. cap. 11. n. 15.* Unde corrui etiam

Postremum; quia, licet mandantis & mandatarii delictum unicum sit, spectatò ultimò effectù: attentis tamen, ut debet, actionibus & agentibus ad id concurrentibus, multiplex est pro numero personarum, ad id scienter concurrentium, *l. Ita vulneratus 51. pr. V. Rursus ff. Ad L. Aquil. Baldus in l. Non ideo cit. q. 2.*

REGVLA LXXIII.

Factum legitime retractari non debet, licet casus postea eveniat, à quo non potuit inchoari.

SUMMARIUM.

1. Similitudo huic Regulae Civilis.
2. Eius sensus variis clausulis constructus.
3. Juris utriusque definitionibus.
4. Et ratione etiam stabilitus.
5. Non procedit, cùm actus nondum consummatus.
6. Aut effectus impossibilis redditus est.
7. Cùm Regula conclusata duae Juris decisiones.

Regulae huic è diametro opponitur responsum Ulpiani: cui obligationem extingui placet, si in eum casum incidit, à quo incipere non potest, *l. Pluribus 142. §. 2. ff. de V. O.* Sed, ut ipse monet, hoc non in omnibus est verum. Cùm nostra hac melius conspirantem tradit Paulus *l. In ambiguis 85. ff. hic*, cujus §. 2. *Non est novum, ait, ut, quae semel utiliter constituta sunt, durent: licet ille casus extiterit, à quo initium capere non possunt.* Ne autem ICT.º huic & propositae nobis Regulae adversari Ulpianus videatur, utraque temperanda, & sic exaudienda est, ut sensum faciat, *Sì contractus aut actus alius, stabilem obligationem inducens, semel valide gestus est, & ab agentis libera voluntate non amplius pendet, retractari ab eo non potest: quantumvis superveniat casus seu circumstantia, quae, si antecessissent, ejus inchoationi obstuissent: dummodo legitime gestis actus effectus impossibilis non reddatur.*

Patet id innumeris exemplis; sic enim inter virum & foeminam validè contractum matrimonium non dissolvitur: licet eorum alter vel uterque incidat in amentiam, *can. Neque furiosus 32. q. 7. & l. Patre 8. in fine. ff. de Hæc, qui sui vel alieni*

alieni, aut superveniat cognatio spiri-
 ritualis, affinitas aut aliud impedimen-
 tum dirimens matrimonium, *c. Si vir*
2. de Cognat. Spirit. c. Tua 10. & c. fin.
de eo, qui cognovit consang. Sic testa-
 mentum Jure factum ab eo, qui sanæ
 mentis est, in suo robore perseverat, e-
 tiam si testator actus in furorem, §. 1.
Instit. Quib. non permitt. test. vel bonis
 sit interdictus, Simili modo in benefi-
 cio Ecclesiastico canonicè institutus ad
 præsentationem ejus, qui fuit in juris
 patronatûs possessione, ab illo non remo-
 vetur: quantumvis patronatûs jus postea
 ab alio in judicio evincatur, *c. Consultationibus 10. de Jure Patronat.* Cæcus
 quoque magistratum, antequam utroque
 lumine orbaretur, acceptum retinet: licet
 ad novum nequeat aspirare, *l. 1. §. 5. V. Casum ff. de Postul.* Sic demum, qui
 rem yg. prædium alienum ejus possessi-
 one bonâ fide decenniò aut vicenniò cum
 titulo, vel sine isto tricenniò continuatâ
 præscripsit, id pristino domino restituere
 etiam in foro Conscientiæ non tene-
 tur: quantumvis præscriptione jam com-
 pleta superveniat scientia prædium fuisse
 alienum: quæ scientia, si ante adfuisse-
 set, præscriptionis inchoationi & incho-
 atæ perfectioni obstiteret, *c. Vigilanti*
5. & c. fin. de Præscript.

4. Rationem solidam Regulæ apud DD.
 non reperio. Verius ea Jure prodita est
 partim, ad excludenda innumera eaque
 gravissima incommoda, & ad evitandam
 Reipublicæ perniciosissimam rerum ju-
 riumque confusionem & diminutionem
 litium, quarum quotidie subnascantium
 multitudine obruerentur Curia, & judi-
 ces fatigarentur, si pactiones publicæ ac
 privata, transactiones, sententiæ, contra-
 ctus & actus alii legitime gesti retracta-
 tioni ac rescissioni obnoxii evaderent, su-
 perveniente casu seu circumstantiâ, quæ,

si ab initio extitisset, ejus valori aut ho-
 nestati obstiteret: partim verò, ad sta-
 biliendum commercium & contractus:
 qui inter homines minus frequenter mi-
 norique fiducia inirentur, si iis compara-
 ta rerum dominia, jura, & emolumenta
 superveniente ejusmodi casu vel circum-
 stantiâ, auferenda existimarent.

5. Verùm, ut jam monui, Regula pro-
 posita procedit in actibus legitime factis
 & consummatis; cum nondum consum-
 matorum obligationem, superveniente
 casu, à quo incipere non potuit, sæpe ex-
 tingui, receptum sit, *arg. l. Pluribus cit.*
§. 2. ut planè constat ex sponalibus inter-
duos legitime contractis, quæ matrimo-
nio, à sponforum altero cum alio inito,
c. Sicut 22. & c. Si inter 31. de Spons. &
matrim. uti & superveniente affinitatis,
 voti solennis, aliòve simili impedimentò
 nuptiali tolluntur. Simili modò ad Præ-
 laturam evecto, si perjuri aut aliud cri-
 men, quod, si præcessisset, electionem
 impedivisset, committat, confirmatio
 denegatur, *c. fin. de Jurejurando in 6.*
 quòd criminis impedimentum superve-
 nerit, antequam electionis acceptatione
 inchoatum spirituale matrimonium per
 consecrationem consummatum, imò ra-
 tum fuerit per confirmationem, *c. Inter*
corporalia 2. de Translat. Episc. Huc et-
 iam pertinet exemplum judicii, quod,
 postquam litis contestatione constitutum
 est, justæ suspicionis causâ superveniente
 ac probatâ sistitur, *c. Insinuante 22. de*
Offic. deleg. quia litis contestatione in-
 choatur solummodo, non consummatur.
 Jure quoque Civili evanescit stipulatio
 servitutis, viæ, actûs, itineris in fundo,
 si ante eam plenè constitutam fundus
 fuerit alienatus, *l. Pro parte 11. ff. de*
Servitutibus.

6. Eadem, ut etiam innui, locum non ha-
 bet, quando ejus, quod legitime gestû est,
 effectus

effectus de facto vel de jure redditus est impossibilis: ut iterum patet in sponsalibus, quibus supervenit impedimentum, obstanti valori nuptiarum, *c. Sicut cit. Sc.* & in voto, quò promissa actio, si de facto, vel de jure propter supervenientem prohibitionem, impossibilis fiat, extinguitur, juxta dicta *L. 3. tit. 34. n. 32.* Eadem ratione extinguitur stipulatio, si res in stipulationem de ducta fiat Sacra, aut Religiosa, vel commercio hominum alter, sine facto tamen promissoris, subtrahatur, *l. Si legati 2. ff. de V. O. & S. Item 2. Instit. de inutil. stipulat.*

7. Neque Regula ita temperata sensui officit decisio, *c. 1. de Etat. & qual. Sc. c. Tuanos 4. de Cleric. agrot.* quorum textuum priori Abbates, Decani, Praepositi dignitates suas canonicè assecuti, si ex superveniente impedimento initiari Sacerdotio non possint, dignitates suas amittunt: posteriori ab Ecclesiae administratione removetur ejus Rector, lepra morbo percussus, post beneficii titulum & possessionem canonicè obrentam. Non, inquam, hæc officunt; quia *c. 1. cit. sermo est de Abbatibus & c.* dignitates suas nondum assecuti plenè sive absolute, sed sub tacita conditione intra annum suscipiendi Ordinis Sacerdotalis, *arg. c. Licet 14. de Elect. in 6. Sc. c. Tuanos cit.* Rector non removetur ab ipsa Ecclesia & officio, sed ab istius tantum exercitio sive administratione actuali & publica; quòd hanc ei moraliter impossibilem reddiderit lepra, quominus officio suo decenter & sine aliorum horrore fungi valeat, ut de utroque casu dictum ad Rubric. de Cleric. agrot. n. 9.

REGULA LXXIV.

Quod alicui gratiosè conceditur, trahi non debet ab aliis in exemplum.

SUMMARIUM.

1. De Gratiis ultra vel contra Jus datus est sermo.
2. Sensus Regula consentaneus Apostolicis rescriptis.
3. Ratione firmatur.

Regulam hanc Gratiarum, Apostolicà aliave Principali auctoritate ultra & ferè contra commune Jus concessarum, exemplis passim Interpretes illustrant. Ex quorum proinde mente

Sensus ejus est, *Ea, que privilegio, dispensatione, aliave simili gratia contra commune Jus aut ultra ea, qua ipso permessa sunt, personis singularibus specialiter conceduntur, ab aliis trahi in exemplum, & in simili casu sibi quoque permessa existimari non debent.* Qui Regulae sensus rescriptis Apostolicis valde consentaneus est; sic enim summi Pontifices, Zacharias Bonifacio Sacrae Sedis Moguntinae Antistiti successorem sibi designandi facultatem speciali gratia concedens, ne id in exemplum traheretur, subdit, *Hoc nulli concedi alii patimur, quòd tibi charitate cogente largiri censuimus can. Petisti 17. V. Si eundem. 7. q. 1. & Gregorius Ravennatenis Archiepiscopus, ob usum Pallii extra Missarum solennia attentatum, redarguens disertè monet, ipsum, si suae privilegium probare nequeat, aliarum Ecclesiarum singulari favore nullatenus defendi, can. Contra morem 8. dist. 100.* Simili etiam modo privilegio, vi cujus Praelatorum electioni cum suffragatoribus Ecclesiasticis interesse, aut Praelatum solus nominare valeat, alicui laico specialiter concessio, aliè exemplo ducti uti, responsò pariter Gregorianò eaque ratione prohibentur; quia, quod uni singillatim conceditur, non statim

statim omnibus convenit, *can. Hinc est 16. q. 1.* in quem etiam sensum Ulpianus eleganter respondit, *l. 1. ff. de Constitut. Princip.* cujus *§. fin. Planè*, inquit, *ex his (Principum Constitutionibus) quaedam sunt Personales, nec ad exemplum trahuntur; nam, quæ Princeps alicui ob merita indulget, vel si alicui sine exemplo subvenit, personam non egreditur.*

3. Ratio ulterior horum & Regulæ est partim; quia privilegia, dispensationes & quævis gratiæ, à communibus Juris Regulis exorbitantes, odiosæ & strictæ sunt interpretationis; ut in consequentiam trahi nequeant, & à casu, causa, vel persona una ad aliam extensionem non admittant, per tradita ad *Reg. Quæ à Jure 28.* partim verò; quia Principis, ejusmodi gratiam contemplatione meritorum vel alicujus prærogativæ singularis, aut alicujus necessitatis vel utilitatis extraordinariæ intuitu concedentis, voluntas spectat personam particularem & constituit Jus singulare, *§. cit. Et l. Jus singulare 16. ff. de LL.* ac proinde ob defectum voluntatis in concedente locum in aliis non habet, *can. Et §. cit.* Quare justissimâ animadversione Alexander III. temerarium omnino & indignum pronuntiavit, aliquem sibi sua autoritate præsumere, quod Ecclesia Romana alicui certâ ratione inspectâ singularibus voluit beneficii indulgere, *c. Sanè 9. de Privileg.*

REGULA LXXV.

Frustra sibi fidem quis postulat ab eo servari, cui fidem à se præstitam servare recusat.

SUMMARIUM.

1. Regula sensus Juris definitionibus.
2. Et ratione demonstratur.

3. Fides etiam jurata non servatur si dem datam violanti,
4. Etiam privilegiato & exempto,
5. Et fidem datam in re modica non servanti,
6. Et rei promissa æquivalentem subroganti:
7. Etiam, cum à promissa præstatione est impeditus.
8. Instantia Regula objecta.
9. Eam in eadem relinquunt.

Consonat & usu penè quotidiano trita vox & Regularis verius est, *Frangenti fidem, fides frangatur eadem.* Cujus & Propositæ Regulæ sensus est, *Is, qui fidem conventionem aliquam alteri datam non servat, ex eaque debitum non præstat, perere ab eo non potest, ut fidem servet sibi quæ debitum præstat.* Unde, si per viam transactionis Titius liti eò pacto renuntiavit, ut Cajus ipse adversarius intra anni spatium certam pecuniæ summam solvat: & hanc intra tempus illud Cajus non solvat, ad litem Titius impune redit, *l. Cum proponas 21. C. de Pactis:* & si fundi conductor biennii continui non solvit pensionem, vel in illo male versatus est, à locatore expelli potest, quin committatur poena à locatore ex conventionem solvenda, si intra certum tempus v. g. novennium è fundo conductor expellatur, *l. Quarto 54. ff. Locati;* quia contractui inest tacita conditio, *Si conductor pensionibus paruerit, & fundum coluerit, ut oportet;* quæ à conductore non servatâ, ei de non expellendo datam fidem servare locator non tenetur per Regulam præsentem; cujus vigore, si fundi dominus directus contra datam fidem perfidè suppressat vasallum, hic justè ei denegat obsequia, & à Principe impetrat liberationem ab ejus jurisdictione, *Lib. 2. Feud. tit. 6. Et can. De forma 18. in fine, 22. q. 1.*

Ratio

- 2 Ratio Regule solida est; quia omni contractui inest tacita conditio de eo, quod promissum est, servando, *Si fidem datam alter servavit*, §. 1. *Cum proponas cit.* is autem, qui sub conditione aliquid alteri promittit conventionem quancunque, ei non tenetur, nisi conditio impleatur, §. *Sub conditione 4. Instit. de V. O.* usque adeo; ut, si conditio adhuc pendeat, ex conventionem orta obligatio necdum perfecta, *l. Cedere 21 3. ff. de V. S. &*, si deficiat, resoluta ab initio intelligatur, *l. Necessario 8. §. 1. ff. de Periculo & commodo vendit.*
3. Neque fidem violanti patrociniū præstat Primò contractui ac promissioni adjectum juramentum, cum; quia hujus observatio frustra exigitur ab eo, qui juratam fidem ipse non observat, *c. Quia frustra 4. de Usuris & l. Auxilium 37. in fine. ff. de Usuris*: tum verò; quia, sicut promissioni simplici, sic adjecto juramento inest tacita conditio, *Si fidem datam alter servavit*: quã proinde deficiente, juramenti obligatio non urget, *c. Pervenit 3. de Jurejurando*, Suarez *lib. 2. de Juramento cap. 34. n. 8.*
4. Neque secundò privilegium aut exemptio; quia ejus prætextu datam fidem violare nemini licet; cum clerici & ipsi Ecclesiarum Prælati contractuum leges communes etiam Civiles observare non minus, quàm laici teneantur; ne aliis communitatis membris onerosi reddantur & exosi, Sylvester *V. Lex. q. 15. Sotus Lib. 1. de Justitia q. 6. art. 7. & Suarez Lib. 3. de LL. cap. 34. n. 6.*
5. Neque tertio parvitas materiæ, in qua fides est violata; cum enim hoc etiam casu pactionis leges impletæ non sint, fidei datæ observantiam petens exceptione submoveri poterit instar emptoris, cui mercem tradere venditor non tenetur, si pretii pars etiam modica non

exhibeatur in solutione, *l. Julianus 13. §. 8. ff. de Act. empti*, Baldus *ad l. Pacta 72. ff. de Contrab. empti*. Nisi res, quæ desideratur, tam modica sit; ut verisimile sit, partes contrahendò ejus nullam rationem habuisse, *l. 1. §. 8. ff. de Edili. Edict.*

6. Neque quartò, quòd rei promissæ subrogetur aliquid æquipollens; quia aliud pro alio solvi, invito creditore, non potest, *l. Mutuum 2. §. 1. ff. de Reb. credit & l. Pecunia 16. C. de Solut.* Jason *Lib. 3. Consil. 41. & Gutierrez Practic. Lib. 1. q. 146. n. 6.*

7. Neque quintò; quòd à datæ fidei observatione debitor necessariã aliquã causã fuerit impeditus; quantumvis enim hujusmodi impedimentum excuset à mora & pœna, *l. fin. §. 1. ff. ad L. Rhod. de Jactu*, vim tamen non habet ad promissionem suam alterum obligandi & producendæ adversus eum actionis, *l. Ex ducto 15. §. 6. ff. Locati.*

8. Hanc tamen etiam Regulam perpetuam non esse, variè & Primò quidem suadet; quòd pax servanda iis quoque sit, qui nobiscum pacem non habent, *can. Inter verba 55. in fine. n. q. 3. & inducias, à paciscentiũ uno violatas, servare alter teneatur, can. Innocens, 22. q. 4.* Secundò; quòd, si conjugum fide, sibi mutuo data, continentiam voventium unus fornicetur, ad fidem & continentiam servandam alter maneat obligatus, *can. Quod Deo 33. q. 5.* adeò; ut, si ipse quoque fornicetur, adulterii crimine teneatur, & divertendi jus amittat, *c. Significasti 4. de Divortio*. Tertio; quòd rem, v.g. prædium, emens à pupillo sine autoritate tutoris: vel à Prælato sine Capituli consensu ita celebrato contractu stare, eoque datam fidem inviolabiliter custodire teneatur, licet pupillus, *l. Julianus cit. §. 29. & Ecclesia valeant*

valeant resillire, ut ex communi DD. sententia tradit Sarmiento *de Reddibus Eccles.* p. 1. cap. 22. n. 18.

9. Sed hæc leviora sunt, quam ut intentum persuadeant, aut verisimile reddant, Primum; quia hæc Regula in pacis quoque & induciarum conventionibus procedit; cum etiam his insit tacita conditio, *Si conventa à parte altera non violentur*, arg. c. *Pervenit* & l. *Cum proponas* cit. Grotius *de Jure B. & P.* cap. 21. n. 11. & 13. & Gonzalez in c. 1. de *Treuga & Pac.* n. 16. Unde can. *Inter cetera* & can. *Innocens* cit., ad Christianæ Perfectionis plenitudinem potius, quam ad necessitatem & obligationem pertinere, existimant Imola & Felinus in c. *Pervenit* cit. n. 5.

Alterum; quia mutuo consentu volentes continentiam hanc promittunt Deo, in quem cum perfidia non cadat, ad ejus observantiam conjux innocens etiam post alterius fornicationem tenetur. Quamvis etiam adulteriò pollutum conjugem ad communem thorum & cohabitationem admittere non teneatur, fornicandò tamen in conjugii legem non minus quam alter delinquit, ut arg. c. *Significasti* cit. *Lib. 4. tit. 19. n. 90. in fine* est dictum.

Postremum; quia, quod ab ejusmodi contractu, cum pupillo & Prælato de re Ecclesiæ immobili celebrato, hæc & ille resillire valeant, ætatis & Ecclesiæ favore specialiter introductum est, quin propterea fides data violetur, partim; quia emptor scire potuit ac debuit, fidem sibi ejusmodi contractu efficaciter non datam: tum verò; quia perfidia Prælati non imputatur Ecclesiæ: neque etiam propriè pupillo, quid agat non satis intelligenti, l. *fin. ff. de J. & F.* 7. & contractu non tam arbitriò suo, quam auctoritate Juris contravenienti.

(o)

REGULA LXXVI.

Delictum Personæ non debet in detrimentum Ecclesiæ redundare.

SUMMARIUM.

1. Sensus Regulae,
2. Firmatur ratione,
3. Et Juris definitionibus,
4. Et objecta ex Jure Civili,
5. Usibus Feudalibus,
6. Et Juris Canonici definitionibus,
7. Regulam simul limitant & firmant.

Personæ nomine hoc loco venit, quicumque Ecclesiæ Seculari vel Regulari quomodocunque servit, ejusque res jurare in aut extra judicium administrat. Unde

Proposita & perquam celebris Regulae sensus est, *Si Ecclesiæ Secularis vel Regularis clericus vel Religiosus, ejus oeconomicus, syndicus, procurator vel alius minister, ipsæque ejus Prælati vel Rector delictum committat, ad Injuriam damni que, eò illati alteri, reparationem vel penam Ecclesiæ non tenetur.* Ratio est partim; quia Ecclesiæ minoris & pupilli jure illata servari temper debet, c. 1. *de In integ. restit.* pupillus autem ex alterius, etiam tutoris sui delicto, si ex hoc ad eum non pervenerit, non tenetur, l. *fin. ff. de Auct. tutor.* partim verò; quia delicta suos tenere debent auctores, c. *Quasvis* 2. *de His, que à majoribus & l. Sancimus* 22. *C. de Penis*: neque alterius delinquentis odiò prægravati, aut iniquam conditionem pati quis debet, *Reg. Non debet* 76. *ff. & 22. in d.* præsertim Ecclesiæ, cum; quia delinquendò Prælati aut administrator alius Ecclesiæ nomine agere non præsumitur: sum verò; quia ejus conditionem Præla-

tus & administrator alius meliorem, non deteriorem facere debet, *c. Fraternalitatem 2. de Donationibus.*

3. Quare, si Episcopus deponatur, aut committat feloniam, Ecclesie bona fisco: & si feudalia sint, domino directo non cedunt: sed penes Ecclesiam manent & successorem, *can. Si Episcopum, 16. q. 6. & Lib. 2. Feud. tit. 40. in fine.* Sic etiam Ecclesie bona immobilia male alienata repeti ab alienantis successore, superiore, capitulo &c. imò ab ipso Prælato alienante & propriam turpitudinem allegante possunt, *can. Apostolicos 12. q. 2. & c. Si quis 6. de Reb. Eccles. alien. ut ad hanc Rubric. dictum à n. 124.* Sic, quando syndicus falsat, aut producit falsum instrumentum, ab ipso Prælato confectum, id Ecclesie non præjudicat, *c. Cum venerabilis 6. §. Ad hac, de Except.* Cujus rationem §. cit. Innocentius III. hanc ipsam Regulam à Bonifacio VIII. Decretalibus postea insertam reddidit.

4. Sicut hæc & similia illustrare, sic obscure propositam Regulam videntur Imprimis sanctiones Legales, *l. Jubemus 10. C. de SS. Eccles.* cujus rescripto Imperiali fisco addicitur navis Ecclesie ob delictum Prælati, eam rerum publicarum transvectioni subtrahentis: & si foeminas Deo dicatas rapientium vel corruptumpentium bona in flagitii detestationem ac poenam Monasteriis adjecta, *l. Raptores 54. C. de Episc. & cleric. & Novell. 123. cap. 40.* Monasterii Præfecta intra annum, à die notitiæ criminis computandum, vindicare neglexerit, ea Principis fisco cedunt, *cap. cit. in fine.* Sed Legalium sanctionum vis contra Regulam Canonicam & in Ecclesiarum præjudicium cassa est, cum; quia earum conditores in Ecclesiarum præjudicium aliquid statuendi carent potestate, *c. Quæ in Ecclesiarum 7. c. Ecclesia 10. de Constitut. & Aurb. Cassa C. de*

SS. Eccles. tum verò; quia Regula hæc Ecclesias solum præservat à detrimento, damno & præjudicio in rebus jam quæsitis: non in quærendis; cum in his, sicut hæreditatem aut legatum relictum repudiandò, per tradita *Lib. 3. tit. 24. à n. 48.* sic etiam negligendò & omittendò Ecclesie nocere, vel non acquirendò non potuisse Prælati possint, Panormit. *in c. 1. de In integ. restit. & hic Canifius, Vivianus ac Screin. n. 3. ad 1.*

Deinde Usus Feudales; quia Prælati to committente feloniam, fructus feudi, quod Ecclesie nomine habuit, dum is vivit, non Ecclesie, sed Regi, aut alteri feudi domino cedunt. Sed neque hoc Regula vel Ecclesie præjudicat; quia feudum stabiliter manet penes Ecclesiam. Quod autem fructus ex eo provenientes Prælati delinquenti auferantur, introductum est ex quadam præsumptione; quòd ita per se & absque Ecclesie detrimento damnum sentire videatur solus Prælati; cum ei tantum obventuri fructus denegentur.

6. Demum Canonice definitiones; nam primò, Episcopò loca sibi subjecta ad Ecclesie unitatem reducere negligente, Episcopi vicini id præstantis jurisdictioni, si trienniò non repetantur, perpetuò adjiuntur, *c. 1. & generatim ex negligentia Prælati contra Ecclesias quadragenaria præscriptio currit, c. De quarta 4. c. Ad aures 6. c. Auditis 15. de Præscript.* Secundo, Prælati vel procuratoris, instrumenta in judicio non exhibentis, negligentia Ecclesie obest; ut non nisi in integrum restitutionis auxiliò ei succurratur, *c. Cum venissent 2. de In integ. restit.* Tertio exceptio spoliationis à Prælati factæ Ecclesie nocet; cum impediatur ejus spoliata restitutionem, *c. Cum dilectus 2. de Ord. cognit.*

7. Sed hæc quoque Regula non officunt; quia

unt; quia hæc imprimis procedit de delictis commissionis, non solius omissionis: textus autem c. 1. c. De quarta c. Ad aures c. Auditus & c. Cum venissent cit. agunt de negligentia & omissionis delicto, quò Prælatus Ecclesiæ obesse posse, notant hic Vivianus & Strein. n. 3. ad 1. Hujusmodi tamen etiam delictò læsæ Ecclesiæ in integrum restitutionis auxiliò subveniri Lib. 1. tit. 41. n. 17. est dictum. Dein c. Cum dilectus cit. Spoliatio ob rei gravitatem cum consensu Capituli facta videtur: præfens autem Regula non procedit, quando Prælatus cum consensu Capituli delinquit, Vivianus l. cit. cum enim Prælatus cum isto constituat ipsam Ecclesiam vel Monasterium, c. Relatum 11. de Testament. cum Capituli consensu factum perinde, ut ab Ecclesia vel Monasterio factum, habetur. Accedit, quod c. cit. etiam à solo Prælato factæ spoliationis exceptio Monasterio ideo solùm & merito obfuerit, ejusque impediverit restitutionem; quòd possessio castri, quæ Monasterii Prælatus Nobiles dejecerat, fuerit penes Monasterium: quod, cum ex prælati delicto sicut damnum, sic etiam lucrum percipere non debuerit, super spoliæ actione Jure auditum non fuit, antequam possessione spoliati Nobiles fuerint restituti, Hostiensis, & Panormit. in c. cit.

REGULA LXXVII.

Rationi congruit; ut succedat in Onere, qui succedit in Honore.

SUMMARIUM.

1. Differentia istius à Reg. 55. jam explicata.
2. Ejus sensus Juris decisionibus.
3. Et ratione firmatur.

E Adem ferè, eoque solùm diversa hæc est à Regula Qui sentit 55. supra declarata; quòd, licet Onus utraque, id tamen altera succedenti in honore, altera commodum aliò quod percipienti imponat.

Sensus ergo hòc locò propositz Regule est, Qui alicui succedit in dignitate aliòve munere honorifico, vel prerogativa, ei etiam in onere sive obligationibus annexis succedit, ut patet exemplo ejus, ad quem hæreditario jure transit jus Patronatus; cum hic auctori suo subrogatur, sicut in digniori sede & honoratiori loco in Processionibus & Thurificatione, can. Pia, 16. q. 7. & c. Nobis 25. de Jure patron. sic etiam in curæ ac defensionis onere; ne Ecclesia à potentioribus opprimatur, ejusve bona dilapidentur, aut in alios, quàm destinata sunt, usus convertantur, can. Filius 31. can. Decernimus 32. q. cit. &c. Simili modò successor in Episcopatu aliave dignitate & beneficio Ecclesiastico, sicut honoratur ejus prerogativis, sic etiam pastoralis aliave curæ & obligationibus oneratur usque adeò; ut pro Ecclesiæ necessitate vel utilitate ab antecessore contracta debita solvere teneatur, c. 1. de Solus, quorum omnium

Ratio est; quia in dignitate aliòve munere successor quasi hæres est sui antecessoris, can. Convenio 23. q. 8. Glossa in c. 1. cit. V. Prædecessoris & ibi Vivianus; cum, sicut hæres in universum jus defuncti, l. Hæreditas 62. ff. de R. J. sic ipse in sui antecessoris ex dignitate vel munere proveniens omne jus succedat, c. Relatum 12. de Testament. ac proinde, sicut ad illum hæreditati, sic ad ipsum dignitati aut alteri muneri vel honori annexa onera & obligationes transmittantur, ut in c. 1. cit. cum Glossa fin. notat Panormit. n. 1. juxta Gregorianum illud, Cum honoris augmento cura quoque sollicitudo

vicitudinis debet accrescere, ut cultui vestium actionis quoque ornamenta conveniant, *can. Rationi 9. dist. 100.* ut proinde jure optimo celebretur sapientia Antigonis, onerum, cum dignitate Principi imminentium, magnitudinem vix ulli aut omnino nulli perspectam, pronuntiantis; quod, ut Philosopho non minus, quam Rege digna voce aiebat, si perspecta esset, nemo facile foret, qui sceptrum & diadema Regium derelictum occupare & humi abjectum tollere non vereretur, *Petra de Potest. Princip. dub. 2. & Roland, à Valle Vol. 1. consil. 366.*

REGULA LXXVIII.

In argumentum trahi nequeunt, quæ propter necessitatem aliquando sunt concessa.

SUMMARIUM.

1. Affines huic sunt Regulæ 28. & 74. jam explicatae.
2. Ejus sensus & ratio.
3. Extenditur ad concessa causâ utilitatis.
4. Etque objecta diluuntur.

1. **G**ermana hæc est geminæ ex supra explicatis, scilicet *Reg. Quæ à Jure 28. & Reg. Quod alicui 74* inter quas tamen & præsentem Regulam id discriminis intercedit; quod duarum prior à Jure exorbitantes generatim: posterior speciali aliquo favore personis singularibus: præiens autem Regula specialis necessitatis intuitu factas concessiones spectet.
2. Sentus itaque istius est, *Ea, quæ urgentis alicujus necessitatis intuitu particulari aliquo casu conceduntur, in argumentum trahi & simili etiam casu occurrente,*

aliis permixta existimari non debent. Eodem sensu exaudienda est illa *Pauli JCT. i. Quæ propter necessitatem recepta sunt, non debent in argumentum trahi,* quæ est *162. in Pandectis.* Hinc certe liberorum in potestate constitutorum venditio, necessitate extremâ urgente, patri concessa, neque huic extra casum illum, *l. fin. C. de Parricibus, qui sil. dist. 1.* neque eadem necessitate premente, matri aut avo paterno permixta censetur *Schneidewin. Instit. de Patria potest. Bruneman, in l. cit. n. 1. & Ludwell, in Reg. Quæ propter cit. num. 3.* Hinc esus carni in Quadragesima ægro, aut famis tempore aliis aliquando indulgetur, ultra necessitatis illius tempus, vel ad personas à privilegiis diverfas porrigendus non est: similique modò ob penuriam Sacerdotum aliquando permixta cumulatio, sive unio duarum parochiarum, vel secularium beneficiorum collatio, facta monachis vel clericis Regularibus, extra casum illum trahenda non est; ne permixta propter necessitatem trahantur in argumentum, contra *Regg. cit.*

Ratio horum & Regulæ est; quia hujusmodi concessiones à communibus Regulis exorbitant & constituunt jus singulare, *l. Jus singulare 16. ff. de LL.* cujusmodi concessiones & jura in argumentum seu consequentiâ non sunt trahenda, *Reg. Quæ à jure & Reg. Quæ alicui cit.* quia illæ odiosæ, hæc vero ob defectum voluntatis in concedente ultra propositâ necessitatis casum particularem se non extendunt, usque adeò ut, quæ alicujus necessitatis intuitu specialiter conceduntur, eâ cessante, permixta desinant esse, aut saltem non sint amplius concedenda, juxta illud *Innocentii Papæ, Quod pro necessitate temporis statutum est, cessante necessitate debet utique cessare, ut Causa 1. q. 1. can. 41.* & huic consono *can. Quod pro remedio 9. ibid. q. 7. refertur & suadet tritum,*

T t t t

Cessante

cessante causa cessat effectus, e. Cum cessante 60. de Appellat.

6. Atque sic firmata Regula non in iis duntaxat, quæ extremâ, sed iis etiam procedit, quæ morali seu gravi necessitate urgente, imò & evidenti utilitate suadente aliquando permittuntur; quia necessitas & evidenter utilitatis causæ in Jure æquiparantur, Glossa in *Clement. 1. V. Necessitas aut Utilitas*, Panormit. in c. *Ut super 8. n. 15. de Reb. Eccles. alien. & Strein. h. n. 3.*

4. Neque cum ea pugnat solenne axioma, *Ubi eadem ratio, eadem Juris dispositio est*, arg. l. *Illud 32. ff. ad L. Aquil.* quia axioma hoc perpetuum non esse, & saltem in exorbitantibus locum non habere, exploratum est ex dictis *Lib. 1. tit. 2. à n. 135.* quò loco, ei non solum in singularis, de quo hic agitur, sed in communis etiam Juris dispositionibus locum non esse, statui, cum; quia, ut in casibus similibus eadem Juris dispositio sit, necessarium est; ut disponentis voluntas non unum tantum propositum habuerit, sed comprehenderit omnes: quod non contingit, quando presentis necessitatis intuitu ad eam propulandam certò casu aliquid alicui conceditur: tum verò; quia ratio aliqua disponentem movere potest ad aliquid statuendum in casu uno, quin id in aliis similibus casibus voluerit obtinere, arg. *Clement. 1. de Elect. & c. fin. de Immunit. Eccles.*

REGULA LXXIX.

Nemo potest plus juris transferre in alium, quam sibi competere dignoscatur.

SUMMARIUM.

1. *Sensus Regula omnibus actibus accommodatus,*

2. *Firmatur Jure & ratione,*
3. *Et impugnatur, vel potius declaratur, instantiis,*
4. *Abbas ante receptam benedictionem Monachos benedicens,*
5. *Episcopi nondum consecrati & c. committentis clericorum Ordinationem,*
6. *Patroni laici jus eò, quod habuit, majus in Ecclesiam,*
7. *Venditoris, rei aliene conditionem prescribendi in emptorem,*
8. *Et creditoris, rei oppignoratae vendita dominium transferentium.*

Convenit hæc cum illa Ulpiani, **I**
Nemo plus juris transferre in alterum potest, quam ipse habet, quæ est § 4. in Pandectis.

Sensus utriusque est, *Qui rem quampiam, sive per ultimam voluntatem, sive per actum inter vivos in alium quemcumque suo nomine transfert, in eum plus juris, quam actu aut potentiâ ipse habet, transferre non potest.* Quod de translatione per ultimam voluntatem exploratum est ex c. *Nuper 6. V. Quod autem, de Donat. inter Vir. & Uxor.* unde nostrâ hæc Regula deprompta est, & ex Regula *Civilis 162.* cujus tenor est, *Nemo plus commodi heredi suo relinquit, quam ipse habuit.* De actibus autem inter vivos ex ejusdem Juris Reg. *Invisus 156. §. 3. & Reg. In iis;* cujus §. 1. idem Ulpianus ait, *Non debeo esse melioris conditionis, quam auctor meus, à quo jus in me transit.* Vigore istius Regule à venditore id solum, quod habuit, ad emptorem transit: & si ille dominium tantum directum vel solum utile habuit, alterum duntaxat, quod habuit: & si plenum habuit, utile simul & directum dominium in hunc transfert, l. *Traditio 20. ff. de Adquir. rer. dom.* Inde etiam est; quòd, si res onere affecta apud auctorem fuit, cum eo tran-

eo transeat ad successeorem, l. Literis 5. de Pignor. & hypoth. & ab eo, qui nihil habuit, aut plus debuit, quam habuit, nihil relictum intelligatur, l. Si Univerſa 15. C. de Legat.

2. Rationis loco est illud naturali lumine notum, *Dare nemo potest, quod nec actu nec potentia habet, can. Darbertum, 1. q. 7.* & Dialecticorum Axioma, *Causa nihil potest dare effectui, quod ipsa nec formaliter, ut calore ignis, nec eminenter aut virtualiter, ut eundem sol, habet.*

3. Non pauca tamen sunt, quae huic Regulae opponantur; cum eo, quod habent, amplius jus in alterum transferant Primò, Abbas, qui monachos suos aliquando benedicere potest ante acceptam benedictionem, c. 1. de Supplend. neglig. Secundò Archiepiscopus, qui ante receptionem Pallii suffraganeum suum consecrandi potestatem, quae ipse caret, alteri Episcopo committere valet, c. Suffraganeis 11. de Elect. eodemque modo Episcopus confirmatus ante suam consecrationem, Glossa in c. Transmissam 15. v. De talibus, de Elect. & Episcopali sede vacante, Capitulum subditos dioeceseos ordinandi licentiam, quae ipsum caret, aliis dat, c. Cum nullus 3. de Temp. Ordinari. in 6. Tertiò patronus laicus, qui licet ad praesentandum clericum quatuor tantum menses, à notae vacationis die computandos, habeat, Ecclesiae tamen vel Monasterio, in quod jus patronatus transfert, sex menses competunt, c. Unic. §. fin. de Jure patron. in 6. Quarto mala fide possessam rem alienam donans ei, qui eam donantis propriam esse existimat, conditionem praescribendi in eum transfert, pr. Instit. de Usucap. licet ipse illam praescribere, mala fide obstante, non potuerit, c. Vigilanti 5. §. c. fin. de Praescrip. Quintò ex Responsio Ulpiani, *Non est novum; ut, qui dominium non habet, alij dominium pra-*

fer; nam & creditor pignus vendendò eam- sam dominij praestat, quam ipse non habuit, l. Non est 46. ff. de Acquir. rer. dom. Sic etià Prælatus, Ecclesiae rem distrahens, Auth. Hoc jus, C. de SS. Eccles. tutores, curatores, procuratores, licet domini non sint, per traditionem tamen dominium in alios transferunt, l. Lex qua 22. C. de Administ. tut. §. Nihil 43. Instit. de Rer. divis. idemque praestat iudex, rei non suae dominium auctori adjudicandò, §. fin. Instit. de Offic. jud.

Verum accuratius ponderata omnes haec & similes instantiae Regulae vim declarant potius, quam evocent.

Prima; cum, quia Abbas nondum benedictus, licet careat Abbatiali, Monachalem tamen, quam confert, benedictionem habet: tum verò; quia in casu c. 1. cit. pro benedictio habetur ex dispositione Juris, à quò Abbatialis benedictio, sicut introducta est, ita suppleri potest, ut in c. cit. cum Glossa V. Benedicere, notant Hostiens. in fine & Panormit. n. 2. oppos. 2.

Alterae; quia consecrationis & Ordinationis commissio non sunt actus Ordinis, sed Jurisdictionis, quibus Archiepiscopus suum suffraganeum, subditos suos dioeceseos Capitulum, & ante consecrationem Episcopus alteri subjicit quoad consecrationem vel ordinationem, quas faciendi potestatem, in quosvis per se aut per accidens ex delegatione sibi subiectos exercendam, Episcopus, non Archiepiscopi vel Capituli commissione; sed in sua consecratione accepit, Panormit. in c. Suffraganeus cit. n. 1. & Azor p. 2. Instit. lib. 3. cap. 29. q. 7.

Tertia; quia laicus sibi competens Patronatus jus donandò Ecclesiae vel Monasterio in hoc & illam solummodo transfert jus, clericum ad beneficium vacans praesentandi: semestre autem iis non indulget ipse, sed Jus Ecclesiasticum, ita compen-

T t t t

compen-

compensans facultatem variandi, sive successivè plures præsentandi, Ecclesiæ non competentem: licet eam laicus haberet. Unde iste non plus, sed minus, quàm habuit, juris in Ecclesiam transfert; cum ipse habeat jus variandi & satisfaciat præsentandò dignum: Ecclesia autem sine variandi jure præsentare teneatur digniorum per tradita *Lib. 3. tit. 38. à n. 109.*

7. Quarta; quia conditionem præscribendi rem alienam non tam donans quàm Jus donatario confert, intuitu bonæ fidei circa illius possessionem in donatario, non etiam in donante repertæ. Neque refert; quòd ab isto res donata transeat cum onere & vitiis; quia solùm transit cum vitiis realibus sive inhærentibus ipsi rei, ut furti, violentiæ, rapinæ vitia sunt: non cum personalibus, ut est mala fides; ista enim, cum cohæreat donantis personæ, istius quidem, *l. Sequitur 4. §. 6. ff. de Usucap.* non etiam donatarii, rem bonâ fide possidentis, impedit præscriptionem, *l. Apud Celsum 4. §. 31. ff. de Doli mali except.*

8. Postrema; quia creditor rei sibi oppignoratæ dominium, quò ipse caret, in emptorem transfert non suò, sed alièno nomine, sive ex voluntate debitoris patiensendò consentientis: ut, si pecunia die constitutâ non solveretur, creditori pignus vendere liceret, *§. 1. Instit. Quibus alien. non licet*; cum nihil intersit, rem suam debitor per se, an per alium sive creditorem vendat ac tradat, *l. Quâ ratione §. 4. ff. de Acquir. rer. dom.* Simili modò Prælati, tutores, procuratores rerum, ad Ecclesias, pupillos, minores pertinentium, & emptoribus traditarum dominium non suo, sed illorum nomine, sive autoritate legis vel dominorum voluntate transferunt, *l. Lex §. 4. cit.* proposita autem Regula de rerum translationibus suo nomine & ex voluntate sua factis pro-

cedit. Iudex quoque rei per sententiã auctori adjudicatæ dominium, quod non habet, in istum transfert autoritate legis sive Reipublicæ, rerum nostrarum dominæ non minus, quàm nos sumus, easque ab uno in alterum transferre valentis, sicut per usucapionem, *pr. Instit. de Usucap.* sic etiam per sententiã, secundum leges latam, *arg. l. fin. C. de Re judic.* cum res judicata faciat; ut, quod jus non est, jus sit ac fiat, *Perez ad Rubric. cit. n. 2.*

REGVLA LXXX.

In Toto Partem non est dubium contineri.

SUMMARIUM.

1. Totum ex partibus componitur.
2. Regula de eo veritas ex terminis nota.
3. Proponitur in exemplis.
4. Variis Juris decisionibus impugnatur quidem.
5. Sed declaratur magis, quàm convellatur.

Totum dicitur, quod ex partibus compositum est: ut navis ex pro-
ra, puppi, carina, malo, antenna, velo, clavo, remo &c. hæreditas ex peculio, domo, villa, prædio, agro vinea, prato, horto, grege, animali &c. quæ navis aut hæreditatis dicuntur partes.

2. Sensus itaque propositæ eique consonæ *Reg. 113. in Pandectis* eò, quem primò intuenti verba offerunt, clarior, & ratio alia reddi non potest; cum, in toto partem contineri, Naturali lumine notum non minus sit, quàm totum quodcunque suâ parte majus esse: quod primis & Naturali lumine notis principiis adnumeratur.

Quare.

3. **Q**uare; quod juris est in toto, idem est in eius parte, quatenus totius pars est; ut, quemadmodum alicui pro tota re sua possessa ab alio competit rei vindicatio, sic etiam competat pro singulis eius partibus, *l. Quae de tota 75. ff. de R. V.* Et totò fundo evidèto ejus quoque pars evidèta censeatur, *l. Ex mille 65. ff. de Evidè.* Hinc etiam rei judicatæ exceptio, sicut obstat ei, qui priùs in iudicio pro tota domo egit & succubuit, sic eidem obstat, si postea pro ejusdem domus parte agere velit, *l. Si quis 7. pr. ff. de Except. rei judic.* nam, ut huic suo responsò Ulpianus subdit, *Pars in toto est.* Quæ ipsa ratio est, cur nihil agat, qui, postquam stipulatus est fundum totum, postea ejus partem stipulatur, *l. Qui usufructum 58. ff. de V. O.*

4. Hanc quoque Regulam, licet Naturæ lumine nota sit, complura Veterum ICT.^{um} responsa in dubium vocant; nam Primò, licet usufructus pars sit proprietatis, *l. Si alii 19. ff. de Usu & Usufr. leg.* is tamen, qui fundi proprietatem petiit, pro usufructu agere permittitur, *l. Si ex toto testamento 20. ff. de Except. rei jud.* Secundò, iter pars est actus; eum is, qui per fundum habet iter, per eum eundi: is verò, qui aditum habet, eundi & jumentum aut vehiculum agendi habeat facultatem, ac proinde in actu iter contineatur *l. 1. pr. ff. de Servit. præd. rustic.* & tamen, qui nequicquam actum petiit, si petat iter, rei judicatæ exceptione non summovetur, *l. Si mater 11. §. 6. ff. de Except. rei judic.* Tertiò eadem exceptio non obstat illi, qui postquam insulam, id est, domum ab aliis, sicut insula in mari à continente, separatam petiit, si postea tignum, lapidem aut aliquid simile ex ea petat, auditur *l. Si quis 7. §. 2.* Quartò, cui pignori data est sylvæ, ex ejus arboribus fabricata navis

oppignorata non est, *l. Si convenit 18. §. 3. ff. de Pignorat. act.* Quintò, aurum & argentum in genere legatò, nummi seu pecunia signata, licet illius pars sint & species quædam, non debentur, *l. Cùm aurum 19. pr. & l. Quintus 27. §. 1. ff. de Auro & arg. leg.*

Speciola hæc quidem, sed vacua viribus adversus Regulam sunt. Primum; quia proprietas & dominium bifariam, & aliquando quidem sumitur pro pleno & perfectò, aliquando pro imperfectò & non pleno. Priori modò sumpta proprietas seu dominium includit usufructum tanquam partem: ut, qui fundi v.g. proprietatem sibi adjudicari petiit ac succubuit, si postea pro usufructu agat, rei judicatæ exceptione omnino repellatur, *l. Si cùm argentum cit. §. 3.* Posteriori modò sumptæ proprietatis seu domini usufructus non pars, sed servitus est ab ea distincta, *l. Rellè 25. pr. ff. de V. S.* ut, qui ita sumptam proprietatem habet, non eò ipsò in fundo habeat usufructum; atque idcirco ei, qui pro fundi proprietate agendo succubuit, si usufructum petat, exceptio illa non obstat.

Eòdem ferè modò iter aliquando sumitur, prout tanquam pars actus continetur; aliquando, prout est species servitutis rusticæ ab actu distincta, & jus eundi per fundum alienum sine jure agendi per eum jumentum; quò posteriori modò sumptum iter peti potest ab eo, qui pro actu agendo succubuit, & vicissim, *§. 6. cit.*

Non magis urget tertium; quia tigna & lapides quidem ab insula seu domo separati aut facillè separabiles sunt; ac proinde illius pars non sunt; cum ut Ulpianus *§. cit.* ait, insula seu domus esse unius, & alterius esse valeant tigna, lapides &c. sicut fit, eum insula in solo proprio ædificata est ex materia aliena, Salycet. *in §. cit.*

Tertium;

Quartum

Quartum etiam non movet; quia, quando materia obligata transit in materiaturum, ut apud Glossam in §. 3. cit. *VV.* loquuntur, prima illa materia esse definit, & esse incipit nova species diversa; ut materia illa pignoris titulo desinat esse obligata, & pignoris obligatio evanescat saltem, si aliud actum non est, cum pignoris titulo obligaretur.

Quintum; quia pecunia signata, licet ex auro vel argento cusa sit, auri tamen & argenti nomine venire non solet; cum, ut idem JCT. ^{us} ait, *Non facile quinquam argenti numerò computet nummos seu pecuniam signatam*: cujus rationem ibidem Bartolus eam reddit; quod pecunia hæc in eum usum destinatur, ut expendatur & commercio deserviat: ea verò, quæ ad commercium sic destinata sunt, legato universali non comprehendantur: nisi aliud aurum vel argentum testator non haberet, textus & DD. in l. *Pediculis* 32. §. 4. ff. de *Auro & argento leg.*

REGVLAL LXXXI.

In Generali concessione non veniunt ea, que quis non esset verisimiliter in Specie concessurus.

SUMMARIUM.

1. Hinc ansam præbuit Regula præcedens.
2. Ejus sensus Juris decisionibus,
3. Et rationi consentaneus.
4. Generalitas non afficit incogitata,
5. Aliquando etiam in transactione.

Cum pars totò contineatur, generali concessione comprehensæ ejus species indiscriminatim omnes concessæ videri possunt; quòd *Semper generalibus specialis*, sicut

pars totò, *insint l. Semper* 147. ff. de *R. J.* Sed, hoc non esse perpetuum, satis docet proposita Regula: cujus

Sensus est, *Cum humanà dispositione quæcunque aliquid terminò seu vocabulò generali conceditur, concessa non intelliguntur ea, que verisimile non est, in specie & expressè fuisse concedenda*: quo sensu idem asseritur c. *fin. de Offic. vicar. & c. Si Episcopus* 2. de *Panit. & remissa Urrobigue in 6.* ex quorum textuum prioris decisione in generali concessione officii Vicariatus Episcopi beneficiorum collatio libera non continetur: ex posteriori verò is, cui generaliter concessa est licentia sibi eligendi confessorium, ab electo absolvi nequit à casibus Episcopo reservatis. Sic etiam Sedis Apostolicæ legato facta generalis commissio se non extendit ad causas Fidei, can. *Frater*, 10. q. 1. ad Translationes Episcoporum, can. *Nisi specialis* 3. & unionem vel divisionem Episcopatum &c. c. *Quoad translationem* 4. de *Offic. Legati &c. Deliberatione* 4. eadem Rubric. in 6. Votum quoque jejunandi omnibus Veneris ac Sabbathi diebus non comprehendit casum, quò in ejusmodi diem incidit Festivitas Natalis Domini nostri JESU Christi, Joan. Andr. in c. *fin. de Observat. jejum.* n. 4. & Azor p. 1. *Lib. 2. cap. 20. q. 3.* ut dictum *Lib. 3. Tit. 46. n. 27.* Simili modo generalis concessio administrationis donationem non includit, c. *fin. cit. pr. & l. Filiafamilias* 7. pr. ff. de *Donat.* & in generali obligatione pignoris non venit uxor, alumni &, quæ quis non est credendus, obligare velle, l. 1. c. *Quæ res pign. oblig.* ut dictum ad Rubric. de *Pignorib.* n. 10.

Ratio omnium est; quia generales concessiones plerumque sunt præviâ solum confusâ cogitatione specialium eorumque ferè ordinariorum &, quæ concedi com-

cedi communiter & facile solent, sine accurata, & ferè nulla ponderatione eorum, quæ, si de iis cogitaretur, verisimiliter excipienda & non concedenda essent. Unde ad talia, utpote non satis cognita concedentis intentio ac voluntas se non extendisse præsumitur. Accedit; quòd generalitas pariat obscuritatem. Unde, sicut in obscuris, *Reg. Inspicimus 45. hic*, sic & in generalibus id, quod verisimile est, accipitur: & id, quod in specie concedendum non fuisse, verisimile est, exceptum intelligitur, aut non concessum.

4. Atque hoc sensu acceptæ Regulæ locus etiam est, quando generali concessioni Motus proprii aliæ similis clausula est adjecta; quia generalia non sufficiunt ad specialia tollenda; cum genus non derogat speciei, *Reg. Generi 34. hic*: uti &, si eadem concessionis generalitas sit geminata; quia geminatio sive iteratio actus, licet firmitatem explicet instar adjecti juramenti, Panormit, *in c. Cum contingat 28. de Jurejurando*, non tamen eam ampliat sive extendit ultra ea, quæ simplici concessione continentur, Peck. *hic n. 9.*

Quare secundum *Reg. Semper cit.* specialia generalibus insunt & inesse intelliguntur: nisi verisimilis præsumptio sit, disponentis intentione specialia quædam non comprehensa; quòd, ea non ponderata, imò nec cogitata fuisse, rationaliter inde conjiçitur; quòd, si animo occurrissent, expressè & in specie non concedenda, sed excipienda fuisse, omnino verisimile sit.

Neque in contrarium facit; quòd disponens, si specialia non concedere, eave excipere voluisset, id exprimere facile potuisset; ac proinde, cum ea non excipit, vel negat, interpretatio contra ipsum facienda sit, per *Reg. Contra eum 57. hic*; ut generalis concessio ad quæcunque

porrigatur. Non, inquam, hoc contra Regulam facit; quia contra disponentem ininterpretatio facienda tum demum est, cum pro eo nec veritas stat, nec verisimilitudo; harum autem alteram pro eo facientem sequimur, per *Reg. cit.* ne ejus concessio ultra concedentis intentionem & ad non cogitata facile trahatur, contra *Reg. l. Non omnia 19. ff. Si cert. petat.*

Majorem veri speciem habet; quòd transactione generaliter factâ jurium remissio ad incogitata porrigatur; cum prætextu novarum specierum postea apparentium, vel reperorum novorum instrumentorum antè ignoratorum non rescindatur, *ll. Sub prætextu 19. & 29. C. de Transact.* Sed hoc quoque Regulam nostrâ non convellit; cum enim partes transigendò finem liti imponere intendant, speciebus quoque & instrumentis non apparentibus, in ipsis fundato Juri renuntiare, qui transigunt, specialiter censentur, *ll. cit.* licet aliàs expressis majora & alia in specie verisimiliter non concedenda ipsa quoque transactio non comprehendat suâ generalitate, *l. Age 1. l. Si de certa 31. C. de Transact. & l. Licet 2. C. de Judiciis*, Glossa in *l. Age cit. V. Pecunia*, Panormit, *in c. 1. de Transact.* Wertenbec. *Vol. 2. Const. 42. n. 54.* & Schurf. *Cent. 1. Const. 65. n. 8.*

REGVLA LXXXII.

Qui contra Jura mercatur, bonam fidem præsumitur non habere.

SUMMARIUM.

1. Ita mercatur, quiæmit contra Juris prohibitionem.
2. Regula sensus, ratiòque,
3. Et solutio objectorum.

Contra

1 **C**ontra Jus mercatur, qui aliquid emit contra legis vel canonis prohibitionem, vg. Ecclesiam vel beneficium Ecclesiasticum, *e. Non satis 8. & c. Cum in Ecclesia 9. de Simonia: à pupillo sine autoritate tutoris, l. Pro emptore 2. §. 15. ff. Pro emptore, vel à Prælato, Ecclesia vel Monasterii rem immobilem sine iusta causa vel Jure præscripta solennitate vendente, emendò, c. 1. c. Tua nuper 8. de his, que à Prælat. & c. 1. de Reb. Eccles. alien. in 6. Unde.*

2. Regula propozita sensus est, *Is, qui contra publicam & notoriam legis vel canonis prohibitionem aliquid emit, id dolo & cum peccato facere præsumitur: ut idcirco pro rei sic emptæ possessore male fidei verè, si prohibitionem scivit: si verò id ignoravit, præsumpta habeatur, juxta rescriptum Impetiale, Mala fidei possessorem namque esse nullus ambigit eum, qui contra legum interdicta mercatur, l. Quæmadmodum 7. in fine, C. de Agricol. & censit.* Ratio est; quia ex una, actiones suas ad Juris, hoc est, legum canonumque & statutorum normam conformare quilibet tenetur *arg. c. 1. de Constitut. & l. Leges 3. C. de LL.* quicunque enim potestati subiectus est, subditus est legi, quam ea potestas promulgat, *S. Thomas 1. 2. q. 96. art. 5. & Ipeculator Tit. de Constitut. n. 5.* Ex altera verò parte id, quod ex Juris præscripto quis tenetur, scire, & intelligere quilibet præsumitur, *l. Leges 9. C. de LL. can. fin. in fine. dist. 3. & c. fin. §. Si quis, de Clandest. de spons. adeò; ut scire, & scire debere, facileque investigando vel peritiores interrogando posse, paria reputentur, l. Regula 9. §. 3. ff. & l. Constitutiones 12. C. de J. & F. J. & c.* qui nescit, quod scire debuit ac potuit, in culpa non minus sit, quam is, qui scit, quod facere debet & non facit, juxta illud Apostoli, *Si quis ignorat,*

ignorabitur, Corinth. cap. 14. V. 38. §. Si quis cit. & l. Julianus 19. ff. ad S. C. Maced. Unde, qui contra Juris prohibitionem emit ac mercatur, rem emptam possidet malâ fide verâ, si illam esse alienam scivit: præsumptâ, si ignoravit.

Neque Regula obstat; quòd bona fides semper præsumatur, si mala non probetur, *l. Merito 51. ff. Pro socio & l. Dolum 6. C. de Dolo;* quia malam sufficienter probat delictum mercantis contra Juris prohibitionem; cum talis circa id, quod agit, læsam habeat conscientiam, in qua malam fidem consistit, ad *Reg. Mala 2. pr. in 6. & L. 2. tit. 24. n. 26.* est dictum.

Neque secundo; quod Monasterium donationis titulò ab Episcopo summam promissâ majorem accipiens, ne excessum cogatur restituere, tueri se valeat præscriptione, *c. Apostolica 9. de Donat.* cum; quia ex communi DD. sententia præscriptione Monasterium eò solum casu defenditur, quò donationem Juri consentaneam credidit non errore Juris, sed Facti duntaxat; quòd fructus Episcopales multò, quàm erant, ampliores existimârit, *Glossa in c. cit. V. Præscriptione, & Pirrhing ad Lib. 3. tit. 24. n. 23. in fine;* tum verò; quia, malam fidem ex Juris ignorantia præsumptam quadragenariæ præscriptioni non officere, ex veriori aliorum sensu dictum est *Lib. 2. tit. 26. n. 47.*

REGULA LXXXIII.

Bona Fides non patitur, ut semel exactum iterum exigatur.

SUMMARIUM.

1. Sensus & ratio Regule.
2. Idem bis exigi etiam à diversis nequit.
3. Contrarium suadentes Juris textus
4. Quòd

4. Quod tamen neque ex Ecclesiastico,
5. Neque ex Civili Jure deprompti a-
vincunt.

1. **E** Adem prodita est Jure Civili, cu-
jus Regula 57. Caius ICT.^{us} ait,
Bona fides non paritur, ut idem
ibi exigatur.

Sensus est, Si quis debitum semel
exegit, & solutionem justam impetravit,
eius solutionem aliam ab eodem rei debi-
tore, aut etiam à fidejussore petere, bonâ
fide & sine peccato non potest. Si, in-
quam, solutionem justam impetravit; quia
à debitore, semel frustra pulsato, solutio-
nem iteratò peti, bona fides finit, & lex
adeò non improbat; ut bona nomina mala
evadere exillimet, si pro solutione debi-
tores non interpellentur, Barbofa *Usufreq.*
diñ. 377.

Ratio perspicua solidâque est; quia
semel factâ exactione ejus, quod debetur,
& justâ solutione secutâ, sublata est om-
nis obligatio, *pr. Insist. Quibus mod. toll.*
oblig. ut adeò dolo non vacet, qui semel
exactum & solutum sciens denuo exigit;
cum exigat id, quod acceptum restituere
eum oportet, contra *Reg. Dolo 59.* supra
explicatam: partim verò; quia Jure na-
turæ æquum est, neminem cum alterius
detrimento & injura fieri locupletio-
rem, *l. Jure 205. ff. hic:* quod sit iteratâ ejus-
dem debiti exactione & solutionis rece-
ptione.

2. Harum rationum ea vis est; ut idem
bis exigi non solum à debitore eodem,
sed ab alio quoque primò solventis cor-
reo aut fidejussore bonâ fide & illâscen-
scientiâ non possit; cum enim correo
utriusque una eademque sit obliga-
tio, una eademque summa debita ab ut-
roque est: ut, ejus solutionem exhiben-
te altero, eorum alter quoque liberetur,
l. In duobus 3. §. 1. ff. de Duobus reis. Simi-
li modo, si plenam solutionem debitor

exhibuerit, fidejussor immunis est perin-
de, ut, illam exhibente fidejussore, per eum
debitor liberatur, *l. Fin. §. 1. C. de Usur.*
rei judic.

Sicut autem hæc contra, sic pro i-
terata ejusdem debiti exactione & solu-
tionis receptione facit Primò *c. fin. §.*
Per hoc, de Panis in 6. §. 1. C. de Summa
Trinit. quorum textuum priori alicujus
S. R. E. Cardinalis interfectores: poste-
riori Hæretici Divinâ, hoc est, ut in *l.*
cir. Interpp. notant, Ecclesiasticâ ultio-
ne jam puniti ad supplicia trahi possunt
à potestate Seculari. Secundò; quòd pro
unius, ejusdemque anni Visitatione ejus
nomine debitarum procurationum exa-
ctio iterata Episcopo permittatur, *c. Cum*
Venerabilis 21. de Censibus. Tertio; quòd
legatum, templi Sacerdoti & libertis pro
feriarum novendialium uno die relictum,
sæpius exigi valeat, *l. Annua 20. §. 1. ff.*
de Annuis legat. Quarto; quia is, qui rei æ-
stimationem contecutus est ab eo, qui do-
lò possidere desierat, rem ipsam à possessore
vendicare non prohibetur, *l. Stycum*
95. §. 9. ff. de Solut. Quintò; quia ex una
eademque injuria v. g. filiæ illata injuria-
rum actio tribus, filiæ, marito, patri da-
tur, *l. 1. §. fin. ff. C. §. Petitur 2. Insist.*
de Injuriis.

Sed leve patrociniū est, quod hæc
Juris definitiones ejusdem debiti iteratæ
exactioni præstant. Prima; quia esto, de-
linquens, Canonica duntaxat & præsertim
Medicinali solum pœnâ affectus, ad lega-
les trahi valeat, quando criminis atrocitas
graviorem, quàm Ecclesiastici judices in-
fligere valent ac solent, pœnam exposcit,
æquitatis tamen ratio non permittit; ut
secundum Canones ac leges ordinatâ vel
delicto commensuratâ, ac proinde con-
dignè punitus in Ecclesiastico, in Secula-
ri foro iterum coërceatur, per deducta,
Lib. 2. tit. 2. n. 141,

U u u

Secundæ

Secunda; quia Episcopus Ecclesias præsertim Regulares uno eodémque anno bis aut sæpius visitare potest, *can. Non semel. 18. q. 2. Sc. Mandamus 6.* junctâ Gloſſa *V. Sæpius, de Offic. Archiepiscop. &c.* cum id præstat, jure exigit iteratâ Visitationi respondentes iteratas procuraciones, Panormit. in *c. Venerabilis cit. n. 6.*

Tertia; quia, cum Ecclesiis aut alteri causâ Fidei relictum legatum in earum favorem interpretetur, §. 1. *cit. templi Sacerdoti & Ecclesiæ, piæ causâ alteri relictum in dubio, an ex testatoris voluntate semel tantum, vel annuatim debeat, singulis potius, quàm uno anno præstandum censemus; ut, si singulis annis exigatur, ac præsteret semel, idem debitum bis non exigatur.*

Quarta; quia, cum res possideri dolo desit, is qui possidere sic desit, æstimationem præstando solvit debitum penale descendens ex delicto: quod, cum à debito ipsius rei, orto ex istius dominio vel quasi, diversum sit, post æstimationem à dolo possidere desinente acceptam ipsam quoque rem à possessore vindicandò ejusdem debiti iterata exactio non fit, contra *Regulam* præsentem.

Quinta; quia, licet injuriam unus idémque & unò eodémque factò ac tempore irroget, tres tamen personæ eâ sunt læsæ perinde ferè, ut, si actibus diversis diversòq; tempore injuriam passæ essent; ut proinde sibi irrogatâ reſarcitionem petentibus singulis, non super eodem, sed super diversis debitis ex eodem facto ortis, reſarcitionis exactio iteretur.

REGULA LXXXIV.

Cum quid unâ viâ prohibetur alicui, ad id aliâ non debet admitti.

SUMMARIUM.

1. *Prohibita quadam sunt ratione sui, alia ratione viâ.*
2. *Sensus Regule declaratur exemplis.*
3. *Et ratione firmatur.*
4. *Unâ prohibita ratione solius viâ.*
5. *Vel, si ista prohibitionem tollat.*
6. *Vel in consequentiam aliâ admittuntur.*

Prohibitorum sive illicitorum sortes sive genera duo sunt; quædam enim prohibentur simpliciter aut principaliter ratione sui, vg. homicidium, perjurium, furtum, adulterium &c. ut prohibitio principaliter non viam & modum, sed rem ipsam sive actum spectet: alia quoad viam seu modum, sicut beneficium Ecclesiasticum concessione laici, vel pecuniâ aliâve re temporalis comparari: Prælaturæ per viam electionis obtineri ab eo, qui natalium, aut ætatis defectu, aliòve Canonico impedimento laborat: res Ecclesiæ immobilis & pretiosa à Prælato liberè, hoc est, sine solennitate alienari, ut prohibitio principaliter viam modumve, non ipsam rem vg. beneficii vel prælaturæ aſſecutionem reive alienationem, sed viam seu modum aſſecutionis vel alienandi afficiat, *Vivianus bñ.*

Præſens Regula procedit de genere priori; ut sensum faciat, *Is, cui aliquid simpliciter ac principaliter ratione sui illicitum & prohibitum est viâ seu modò unò, ad id viâ seu modò aliò admittendus non est: nisi viâ seu modò illò prohibitio tollatur;* sic enim electus ad Prælaturam, ante obtentam confirmationem, Ecclesiæ reorum administrationi se ingerere prohibitus *c. Nōsti 9. Sc. Qualiter 17. de Elect. eadem dem administrare nequit titulo Oeconomi vel Procuratoris, c. Avaritia 1. eadem Rubric. in 6. &c. clericus, ne duo beneficia Ecclesiastica in titulum possideat, prohibitus, c.*

hibitus, *c. Quia in tantum §. de Præbend. & dignit. §. c. Cum singula 32. ibidem in 6. uno obtento in titulum, alterum in commendam perpetuam obtinere ac retinere cum primo non potest, ex decreto S. Synodi Trident. Sess. 7. cap. 4. de Reformat. ne, quod unò modò canon vetat, ad id aliò admittatur; cum perpetua comenda beneficii titulo æquivalet, Laiman inc. Avaritia cit. §. Aliud. Sic de Jure Civili in S. C. Macedonianum incidit is, qui filiofamilias non quidem pecuniam numeratam, sed frumentum aut vinum mutuù dat; ut ex his distractis pecuniam adquirat, l. Item si 7. §. 3. ff. ad S. C. Maced. & maternò testamento à bonorum, liberis patriâ potestate solutis relictorum, administratione remotus pater eorum administrationi se ingerere nequit titulo curatoris; ut non aliâ viâ hoc, quod testatrix noluit, fiat, l. Scire 1. §. 1. ff. de Tutor & Curat. datis.*

3. Ratio Regulæ est; ne fraus fiat legi; cum enim legislator, aliquid simpliciter ratione sui prohibens, id in effectu fieri nolit; nec tam aversetur viam modumve, quò effectus inducitur, quàm effectum ipsum sive rem aut actum, ad quem viâ seu modò illò pervenitur, manifestum est, legi fraudem fieri ab eo, qui ad effectum seu actum simpliciter & principaliter ratione sui, viâ modòve uno illicitum, aliò venit; cum improbè amplectendò legis verba contra legis intentionem & voluntatem legislatoris apertè nitatur: quod paulò post declarandâ Regulâ Certum est §8. §1. 17. ff. de LL. cavetur,

4. Dixi, Principaliter ratione sui, & Nisi via aliâ ipsam prohibitionem tollat. Priùs; quia, cum prohibitio principaliter non rem sive actum, sed viam seu modum spectat, id, quod unâ prohibetur, aliâ viâ non rarò admittitur; sic enim Prælati Ecclesiæ vel Monasterii rem immobilem uti & pretiosam alienare libere

prohibitus, permittitur cum solemnitate, *c. 1. c. Tua 8. de Hæc, que à Prælat. & clerici bona Ecclesiæ intuitu quaesita in pios usus expendere per actum inter vivos, non etiam de iis testari permittuntur, c. Ad hæc 8. §. c. Quia nos 9. de Testament. Sic etiam clericus illegitimè natus ad quamcunque, & alicui Ecclesiæ spiritualis conjugij vinculo alligatus ad aliam Prælaturam evehi per electionis viam prohibitus ad eam postulari potest, *c. Innocentius 20. de Electi. §. c. fin. de Postul. Prælat. Eodem modo unâ actione rem petens quandoque repellitur; qui, si eam aliâ petat, auditur, c. Examinata 15. de Judiciu: & hæreditas pactitionibus deferri Jure prohibita, testamento relinqui potest, l. Hæreditas 6. C. de Pact. convent. Posterius, propter privilegia & dispensationes, quibus res humano Jure principaliter ratione sui vendita, v.g. conjugium inter tertii vel quarti gradus consanguineos aut affines, licita evadit; quòd privilegii & dispensationis viâ respectu personarum & casuum, quos viâ illa respiciunt, legis prohibitionem tollant,**

Addit Canisius, unâ viâ prohibitum aliâ non admitti, *Si ad eundem effectum utraque tendat*; non, si alterâ effectus solum veniat in consequentiam; cum, licet Juris Patronatus venditio inhibita & Simonica, *c. De Jure in 6. venditâ tamen villâ vel castro, cui est annexum, etiam ipsum ad emptorem transeat, c. Cum seculum 13. de Jure Patronat. Sic etiam, licet in rem suam tutor auctoritatem præstare nequeat, ut pupillus ipsi obligetur, proprii tamen debitoris sui hæreditatem adveniendi pupillo auctoritatem suam accommodare permittitur: licet pupillus hæreditatem adiens in consequentiam tutoris debitor efficiatur, l. 1. §. 1. Quod dicimus 7. pr. ff. de Auct. tut. Simili modo, licet procurator Cæsaris de statùs, l. Procuratores 2. C. Ubi causa stat. & Judex Ecclesiasticus de*

tus de merè temporali causa principaliter in iudicium deducta cognoscere nequeant, *can. cum ad verum 6. dist. 96. cognoscere tamen & pronuntiare procurator ille de ejusmodi questione potest, cum ea in petitionem hereditatis, l. Quorsiens 3. C. de iudiciis & l. 1. C. de Ord. cognit. & iudex etiam Ecclesiasticus de causa temporali, cum in divortii causam, principaliter in iudicium deductam, incidit, c. Prudentiam 3. & c. Per vestras 7. de Donat. inter vir. & uxor.* Quod ita salubriter constitutum est; ut liti citius imponatur finis: & ne causarum contentiis, contra l. Nulli 10. C. de iudiciis divisis, idem actor magnò suo incommodò ligare cum diversis iudiciis cogatur.

REGULA LXXXV.

Contractus ex Conventione legem accipere dignoscuntur.

SUMMARIUM.

1. In Contractibus quadam Substantia, alia via Accessoria sunt.
2. Hujus etique consona Civilis Regula sensus,
3. Jura decisionibus, rationeque,
4. Et obiectorum solutione firmatus.

IN contractibus intervenientium quædam ad eorum pertinent substantiam: alia huic accedunt. Ad substantiam pertinentia eadem semper & invariabilia sunt; ut, eorum aliquò deficiente, contractus non subsistant: sicut in omni contractu est consensus, l. 1. ff. de Pactis; in emptione & venditione insuper res sive merx & pretium, l. Inter 2. §. 1. & l. Nec emptio 8. ff. de Contrab. empt. in locatione & conductione res sive ejus usus fructusve, vel opera & merces, l. Locatio 2. ff. Locati: in stipulatione interrogatio & congrua responsio, l. 1. ff. de V. O. in societate communio, l. 1. & l. Ea

verò 3. §. 1. ff. Pro socio &c. Quæ contractus substantiæ accedunt, non semper eadem, sed variabilia sunt eos celebrantium voluntate: ut quæ in contractum incidunt, v.g. evictionem, culpam, casum præstandi obligationes: vel à contrahentibus addici solent, ut quantitas, qualitas, conditio, dies, modus, tempus &c.

Præfens Regula afficit posteriora, & 2. sensum facit, *Contractus quoad ea, quæ eorum substantiæ accedunt, à contrahentium voluntate & conventionem pendunt, ut ad id eoque modo obligent, quò inter illos mutuo consensu convenit: dummodo id sit possibile, & Juri vel bonis moribus non adversetur.*

Eòdem sensu exaudienda est Regula *Contractus 23. in Pandectis*, quæ Ulpianus, cum dixisset, *Sed hoc ita, nisi quid nominatim convenit; nam hoc servabitur, quod ab initio convenit, legem contractus dedit: subijcit, exceptò eò, si convenit, ne dolus præstetur; hoc enim bona fidei iudicio contrarium est:* quæ exceptione JCT. P. aperte insinuat, & Juri & bonis moribus adversantem contractus legem non valere; cum ex Rescripto Imperiali, pacta, quæ contra leges constitutionesque vel contra bonos mores sunt, nullam vim habere, indubitati Juri sit. Quò procul dubio respiciens Gregorius IX. c. fin. de Pactis, hujusmodi inhonestas pactiones rejiciens, ait, *Nam etiam juxta legitimas sanctiones pactum turpe vel res turpia aut impossibilia de Jure vel de factò nullam obligationem includit.*

Quare, licet Jure non subsistant contractus, quibus de solis vel lunæ cursu impediendo, dandòve aureo monte, vel de homicidii, furti, aut falsi crimine committendo, de re spiritali concedenda pro temporali convenitur; vel actio doli furtive, adulterii vel alterius criminis committendi accusatio denuntiatioque remittitur;

remittitur; quòd de re impossibili, Juri aut bonis moribus contraria sint, vel ad liberius delinquendum invitent, juxta dicta *Lib. 1. tit. 35. an. 42.* Jure tamen subsistunt & obligationem inducunt contractus, quibus de quavis re sua & commercio subjecta, de majori minorive quantitate, qualitatèque, certò eventu, tempore, locòque, vel modò, dandò vel præstandò aliquòd à contrahentibus convenitur; vel evictionis, culpæ & casus prælatio aliave obligatio remittitur. Ratio est; quia quilibet rerum suarum moderator & arbiter est, *l. In re mandata 21. C. Mandati*, atque idcirco contractibus super iis initis Jure non reprobata conditiones, modos, diem, locum &c. apponere potest, prout vult, aut ipsi cum altero convenit, itaque legem sibi observandam contrahentes dicere possunt, *l. 1. C. In traditionibus 48. ff. de Pactis §. l. 1. §. 6. ff. Depositi.*

4. Neque sic temperata firmataque Regula quidquam officit; quòd lex futuris formam præscribat negotiis, eamque sequi omnes teneantur, *l. Leges 9. C. de LL.* etiam in Contractibus, qui non tam ex contrahentium conventionem, quam ex legum præscripto formam habent. Hinc certè est, quòd non valeant pacta; ut in dote maritus dolum duntaxat præstet, *l. Pomponius 6. ff. de Pact. dotal.* & ut idem non in id tantum, quod potest, seu in solidum condemnatur, *l. Alia 14. §. 1. ff. Solutio matrim.* Non, inquam, hoc Regula officit, partim; quia leges negotiis & contractibus quoque futuris formam dare ferè intelliguntur quoad pertinentia ad eorum substantiam: non semper quoad accessoria; hæc enim contrahentium voluntati & conventioni esse obnoxia deducta ratio & magister usus luculenter docent: partim verò; quia memorata duæ actiones Jure reprobata specialiter sunt. Prior quidem; quòd dotes suas mulieribus sal-

vas esse Reipublicæ intersit, *l. 1. ff. Solutio matrim.* Posterior verò; quòd sit contra bonos mores Civiles & contra affectionem reverentiãque debitam marito, & postulante, ne rigide & inciviliter ab ipso amplius exigatur, quam sine gravi incommodo facere potest, *Duarenus ad l. Alia cit. §. 1. & Zæsius in l. Non tantum 20. ff. Solutio matrim. n. 2.*

REGULA LXXXVI.

Dammum, quod quis suã Culpã sentit, sibi debet, non aliis imputare.

SUMMARIUM.

1. Sensus Regulae clarus ex ejus verbis.
2. Non minus clara est ratio,
3. Et obvia passim exempla damni,
4. Et amissionis lucri culpam sequentis.
5. Solutio objectorum.

Sensus Regulae ex ipsis ejus verbis perspicuus, ejusque veritas adeò explorata est, ut ex Responso Pomponii JCT. i & Regula Civili 203. *Quod quis ex sua culpa damnum sentit, non intelligatur sentire*, interpretatione Juris; quia hoc ei non patrocinatur; neque enim Juris auxilium meretur, qui se ipse conjicit in necessitatem, *l. Si fidejussor 7. §. 1. ff. Qui satisd. cog.*

Non perspicuus magis sensus, quam expedita ratio est; quia, ne quis alterius odio prægravetur & sine culpa puniatur, contra supra declaratas Regulas 20. & 27. damnum quasi poena quaedam suum tenere authorem, nec ulterius progredi debet, *l. Sancimus 22. C. de Poenis*; ut ita effectus suæ causæ, non alteri, imputetur, *arg. c. Cum cessante 60. de Appellat.*

Sic firmata Regulae usus materias & actiones omnes pervagatur; sic enim, qui servos sine delectu admittit, qui pueros puellasque præficit tabernis, qui parum diligentem socium assumit, de nemine queri: sed, quam eorum imperitiã, in-

U u u u ; cur

carlavet injuriâ sentit, jacturam rerum sibi imputare, l. *Videamus* 1. 1. pr. ff. *Locati* & §. *fin.* *Instit. de Societate*, luæque stultitiæ acceptum ferre debet, qui ex damnosa hereditate, sine inventario adita, damnum patitur, l. *fin.* *C. de Jure delib.* De damno quoque frustra conqueritur is, cujus res usucapta est; suæ enim negligentia desidiaque supina debet imputare; quod intra statuti temporis spatium res suas non perquisierit ac vindicârit, l. 1. ff. *de Usucap.* Sic etiam, si putator ex arbore ramos deiciens clamârit, ne quis periculo se obijciat, is, qui insuper habitâ eâ monitione damnum accepit, id ipse feret: nec putator legis Aquiliae poenâ tenetur; quod transiens hoc damnum suâ culpâ accepisse videatur, l. *Si putator* 31. ff. *ad L. Aquil.* Sic, qui subitit iudicium & litigare maluit pro eo, quod aliâ viâ poterat consequi, si causâ perditâ in expensas condemnatur: & qui sponte compromisit in arbitros, ab his contra se latâ sententiâ stare, nec de alio quàm de seipso conqueri debet, l. *Diem* 27. §. 3. ff. *de Recept. Arbitr.* Demum & procurator poenam, quam ex delicto præstitit, non recuperat à constituyente, l. *Qui proprio* 46. §. 5. ff. *de Procurat.*

4. Neque damnum duntaxat, sed & lucri quoque, suâ culpâ non acquisiti, carentiam, quam sentit, ut quis sibi imputet, necesse est, l. *Quamvis* 11. C. de J. & F. 7. cum damnum pati & lucrum perdere paria reputentur, arg. l. *Proinde* 22. in fine, ff. *ad L. Aquil.* saltem, si lucrum certum & jam debitum fuit, arg. l. *Liberto* 26. ff. *de Bonis libert.* sic enim clericus, si, quod præbendam primò vacantem non petat sibi conferri, gratiam Apostolicam perdat, c. *Si clericus* 11. de *Præb. & dignit.* in 6. & qui sibi promissum tempestivè non exegit, beneficii & lucri jacturam imprudentia, negligentiaque suæ acceptam ferre debet; nam universim beneficium Jura non conferunt negligentibus, sed vigilan-

tibus patrocinantur, l. *Papilius* 24. in fine, ff. *Qui in fraud. credit.* Menoch. de *Arbitr. jud. casu* 194. n. 24.

Quæ Regula opponuntur, nihil habent difficultatis; quia imprimis, l. *Sigittur* 55. ff. *Pro socio* damnum quidem à locio illatum consocio imputatur: sed aperte ei duntaxat, qui culpæ particeps fuit, Dynus *hic* n. 3. Deinde, cum vi statuti vel consuetudinis pro eo, quod filius suâ culpâ condemnatus est, conveniri & patrem posse, quidam asserunt apud *Fachineum Lib. 9. Controvers. cap. 52.* id juxta dicta *cit.* 23. n. 1. eò solum calu verum est, quò culpæ & delicti à filio commissi pater aliquò modò particeps aut in educatione & correctione negligens fuit, Panormit. in c. *fin. de Delict. puer.* n. 3. Menoch. *Vol. 1. consil.* 100. n. 119. & *Barbosa in c. cit.* n. 8.

REGULA LXXXVII.

Infamibus portæ non pateant
Dignitatum.

SUMMARIUM.

1. Sensus & ratio Regulae,
2. Instantia ei objecta,
3. Et cum ea conciliata.

Sensus est, *Personæ, Juris aut Facti infamia notatæ ad dignitates & munera honorifica assumi & admitti non debent.* Est ad Mentem Canonicis & Dyni ad hanc Reg. & ipsius Constantini Imp. cujus ad Volusianum Rescriptum est, *Neque famosis & notatis & quos scelus vel turpitudine vitæ inquinat, & quos infamia ab honestorum catu segregat, dignitatis portæ pateant,* l. 2. C. de *Dignitat.* *Quis enim, vox sapientis est, honorificabit ex honorantem animam suam?* Ecclesiastici cap. 10. v. 32. Ratio est, quia ex infamiae probro & macula nascitur in animis hominum contemptus dignitatum & honorum,

morum; ut promotione ad istos non tam honorentur infames, quàm dignitates & honores infamentur.

Præsertim verò infames quicumque admittendi non sunt ad dignitates, beneficia & officia Ecclesiastica: imò ab his jam obtentis removendi sunt; quòd ea non nisi à probatis & integræ existimationis personis conveniat administrari, per tradita supra Tit. 37. à n. 58.

2. Objici Regulæ solet; quòd infamis ad munus procuratoris & ad arbitrium admittatur, §. fin. Instit. de Except. & l. Pedius 7. pr. ff. de Recept. arbit. & reus criminis accusatus annò à delatione lapsò honorem petere non prohibeatur, l. Reus 7. pr. V. Sed post, ff. de Muneribus & honor.

3. Sed exempla hæc parùm movent. Primum; quia de Jure procuratoris munus vile meretque privatum est, l. Si quis 34. C. de Decurion. ut mirum non sit; quòd ab eo personæ viles non arceantur: nisi procurator sit Principis aut in ejus Curia verletur. De Jure, inquam; quia ex consuetudine, hæc in re Juri prævalente, procuratorum munus ferè non minus honorificum, quàm advocatorum reputatur, & personas quavis infamiâ notatas non admittit, Sylvester V. Procuratio & Gaill. Erastio. Lib. 1. observat. 43.

Alterum; quia arbiter non Juris, sed Voluntarius seu Compromissarius neque dignitatem, neque munus publicum, neque jurisdictionem habet; cum hanc & illa tribuere partes, à quibus assumitur, non possint, l. Privatorum 3. C. de Jurisdic. omn. jud. ut Lib. 1. tit. 43. n. 4. est dictum.

Postremum; quia ex eo, quòd accusatus objecti criminis intra annum à delatione non convincatur, oritur quædam ejus innocentia & calumniæ delationis præsumptio; ut, si munus honorificum petat, tanquam indignus non removeatur.

REGULA LXXXVIII.

Certum est, quòd is committit in legem, qui legis verba complectens contra legis nititur voluntatem.

SUMMARIUM.

1. Occasio Regulæ,
2. Ejus sensus Ratioque,
3. Et utilitas exemplis declarata.
4. Speciosa ratione impugnatur:
5. Firmatur tamen potius, quàm convellatur.

Inopia verborum & inopinatum eventuum copia, varietasque facit; ut verbis propriis non omnes casus lege exprimantur. Plerumque tamen legis mens & legislatoris intentio ex illius lata occasione & ratione finèque perspecta, & aliquando aliena est à sensu, in quem verba, ut sonant, accepta trahi possunt. Quò animadversò

Præsentis ac perutilis Regulæ sensus est, *Contra legem delinquit, quis qui ejus solummodo verba, non sententiam, seu verba in sensu, à legis mente & legislatoris intentione alieno, accepta observat.* Ratio est; quia leges non in verbis, sed sensu: non in superficie & cortice, sed medulla consistunt, vox est Veterum & admonitio digna, quam cordibus suis inscriptam circumferant subditi pariter & magistratus: cuique tanquam Regulæ illi actiones suas, hi iusta, judicia & sententias nitantur conformare; nam ut Celsus JCT.º ait, *Scire leges non hoc est, verba earum tenere, sed vim ac potestatem, l. 17. ff. de LL.*

Quare omnino exploratum est, in legem delinquere electum, ante confirmationem acceptam administrare prohibitum, si oconomum se constitui procuret, c. Avaritia 5. de Elect. in 6. præscribi scienter sinens res Ecclesiæ, prohibitas alienari,

alienari, *arg. l. Alienatio 28. ff. de V. S.* clericum pro beneficio Ecclesiastico pecuniam, non ut pretium, sed ut munus gratuitum patrono vel collatori exhibentem ante præsentationem vel collationem, eamve promittentem, secundum *Propositionem 45.* ex damnatis ab Innocentio XI. 2. *Marij 1679.* sponsum, qui rem dat Titio, ut eam sponsa sua post nuptias jam celebratas tradat, *l. Si sponsus 5. pr. ff. de Donat. inter vir. & ux.* quia hi similesque alii legis verba sive istorum corticem, non mentem, amplectendo contra legis nituntur voluntatem, impinguntque in Regulam præsentem & sententiam Tullii, calumniatoribus adnumerantis eos, qui scriptum sequuntur, neglectâ ratione; ut proinde jure optimo Imp. Theodos. & Valent. Cæsar, *Legi insertas penas non evitaturum, pronuntiârit eum, qui se contra legem, sententiam seu à verborum prærogativâ fraudulenter excusat, l. Non dubium 5. C. de LL.*

Neque, legum verbis duntaxat inhærendum, persuadet; quod ea ex natura & institutione sua loquentis mentem manifestent; ut, quæ ea significant, legis mens & voluntas conditoris fuisse intelligatur; cum intentionis & voluntatis nostræ testimonium majus non sit, quàm qualitas & propria notatio verborum, *l. Labeo 7. §. 2. ff. de Suppell. leg.* adeo; ut Eloquentiæ Romanæ Princeps Cicero argumentum non admitat de voluntate ejus, qui verba, voluntatis, si quod aliud est, certum indicium temere reliquit. Cui argumento non leve robur accedit; quod, si sub prætextu alterius voluntatis in disponente à verborum contextu & significatione propria recedendi libera potestas foret, innumera eaque haud fanè levia incommoda sequerentur;

cum hæreses non aliunde natae sint, quàm ex varia liberâque Divinorum eloquiorum interpretatione.

Non speciosa magis quàm solida ratio hæc primò occurfu apparet: Regulam tamen inconcussam, imò intactam relinquit; quantumvis enim verborum qualitas & propria significatio habenda præ oculis, eique inhærendum sit, cum ea clara apertaque sunt, & de sensu, quem primò intuitu offerunt, dubitandi ratio non est §. 3. *cic.* rationi tamen, & occasionis atque per legem intenti finis ponderationi locus est non solum, cum verborum significatio varia & quâ intentione ea prolata sint, non apparet: sed etiam, cum verba, ut ja cent, iniquum, absurdumve, à recta ratione alienū & per legem intento fini non convenientem aut legibus aliis reprobatis sensum admittunt; his profectò casibus propositæ Regulæ locus, & in legem committere censendus est, qui verba legis amplectitur & contra legis nititur voluntatē.

Atque hæc omnia & singula, quæ pro Academicorum Auditorum in Jure Ecclesiastico institutione, ad majorem Dei gloriam, Deiparæque sine Originalis peccati labe conceptæ, Sancti Parentis mei Ignatii & Sanctorum Thaumaturgorum Antonii Patauni & Francisci Xaverii, Indiarum Apostoli honorem scripta, publicisque Prælectionibus aut Exercitationibus dicta dictaque sunt, Sanctæ Catholicæ & Apostolicæ Ecclesiæ Romanæ, quæ omnium Fidelium Mater, Fideique & Veritatis Magistra Morumque infallibilis Regula est, judicio & correctioni humillimâ veneratione submitto: & si quæ ab ejus mente aliena per ignorantiam aut imprudentiam exciderunt, pro non scriptis, dictis dictatisque cupio haberi.

Libri V. Institutionum Canonicarum
FINIS.